

**De medicamentorum modo operandi in corpore vivo, specimen secundum /  
[Anton Tuschscherer].**

**Contributors**

Tuschscherer, Anton.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halle : C. Henckel, 1720.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/atvmhpwm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*DE*  
**MEDICAMEN-**  
**ORUM MODO OPE-**  
**RANDI IN CORPORE**  
**VIVO,**

**SPECIMEN SECUNDUM,**

*QUAM*  
**PROPITIO NUMINE DIVINO**  
ET

**GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,**

**PRÆSIDE**

**N. D. MICHAELE ALBERTI,**

TENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIA. AULICO, MEDICÆ ET PHILOS. NATVR. PROFESSORE PVBlico ORDINARIO, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,  
TRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO  
CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

**PRO GRADU DOCTORIS**

misque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis  
rite ac decenter obtinendis,

*Horis ante - & pomeridianis. d. Mart. MDCCXX.*

Publicæ ventilationi submittet

**ANTONIUS TUCHSCHERER,**  
MAGDEBURGENSIS.

---

*HALAE MAGDEBURGICAE,*

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

ДИОКСИС  
СТО ОДНОМ АШЕ  
ДНОЙ ГОД НАЧИНАЯ

ОУ.

ВРЕДИТЕЛЬ СЕКУНДУМ

ОНИ ДЕЛАЮТ МИ ОСТЬ ПОДА

ДОЛЖНОСТЬЮ СВОЮ ВЪЗДЕХАЮЩИ

ДОЛГАЯ СЛУЖБА СЛУЖИМЪ

ДОЛГАЯ СЛУЖБА СЛУЖИМЪ



## PROOEMIUM.



### Uando inanis quædam

opera communi aliquo proverbio indicatur, tunc *actum agere* vel *nugas agere* vulgo declaratur, quasi labor quidam vel per se sterilis & vilis, vel jam alibi perlustratus & pertractatus denuo revolvatur & præter necessitatem atque utilitatem recoquatur, cum in negotio ignobilioris fortis interdum vel levis explicatio & illustratio satisfaciat, ut animus atque studia ad res magis arduas, necessarias atque utiles applicari possint: neque quidem veritati repugnat illud Pindari effatum quod ad honestam causam tria verba sufficient Od. VII. aut uti Symmachus dixit Lib. VII. Ep. 16. Non ibo longius: quia brevis est assertio veritatis; tamen ea propter dilerta & sufficiens alicujus considerationis deductio minimie reprobanda est; unde recte Plato in Politico elocutus est: *decet eum qui longiores sermones vituperat circuitusque disputationum hujusmodi non admittit, haud ita*

leviter temereque damnare prolixitatem, sed ostendere prius  
disputatione breviori & promptiores ad differendum & ad in-  
veniendum sagaciores nos, si sequamur, reddi: Et quæ non  
unquam inclauerunt medicorum prolixa studia, ab o-  
mni ferme tempore operosa & quidem circa medica-  
mentorum suppellestilem, facultatem & modum ope-  
randi occupata; ut passim à priscis ad nostra tempora  
hæc indagatio innotuerit; hinc à Galeni imprimis æ-  
vis, ubi facultates remediorum simplicium paulo cu-  
ratori studio explorari & commendari cuperunt, in  
nostras usque periodos, ut plurimum tum sparsim, tum  
ex instituto singulari opera hæc disquisitio agitata &  
tractata fuit, sicuti *Willisius* in tractatu suo *de medicamen-*  
*torum operationibus in humano corpore* idem negotium pro-  
scopo suo habuit & observavit: & *Wedelius* in *amœnitati-*  
*bus materiæ medicæ* passim prosecutus est: quis itaque  
non facile confiteatur, quod in hac animadversione non  
modo medicum, sed & physicum studium officiosum  
æque ac operosum fuerit, ut is *facem soli addere* videa-  
tur, qui ultiro in eodem negotio operari manumque  
ad mouere gestiat: Haud quidem res infimæ sortis ac u-  
tilitatis est, quando artifex necessariam instrumentorum  
fuorum, per quæ operatur, cognitionem assequitur &  
prosequitur: quodsi vero ipse magis circa illorum no-  
titiam, quam utilem applicationem occupatus fuerit,  
quidni hæc theoretica cognitio plus otiosa quam fru-  
ctuosa fuerit: & in eo perquam discrepat physica & me-  
dica remediorum disquisitio atque commendatio: illa  
versatur circa corticem, hæc nucleus prosequitur: illa  
delectatur de corpusculis, figuris, porulis, extensioni-  
bus,

bus, hamulis, ramulis, numeris, capsulis, obscuris v.  
ribus, per tautologiam, pleonasnum & hyperbole  
motricibus dictis, & quot non aliis phantasiam affici-  
entibus & concernentibus qualitatibus: hæc potius  
scrutatur salutares remediorum usus, causis morbifi-  
cis & subjectis ægrotantibus respondentes: illa differit  
de remediorum elementis & relationibus ad corpus,  
quatenus est nuda materia: hæc vero inquirit & incul-  
cat remediorum relationem ad corpus vivum, quod a  
corpore nude mixto absolute differt & distat: illa spe-  
ciose, argutè & curiose de remediis differit & animum  
ut plurimum cum nudis & satis lèpe crassis allegoriis  
detinet; hæc seposita tali diffusa & ominosa pondera-  
tione, mox ad simplices & adæquatas animadver-  
siones contendit, ut eo ipso eximium discrimen  
sit inter indagationem remediorum physicam, bo-  
tanicam, chymicam, mechanicam, metaphysicam,  
characteristicam, hieroglyphicam &c. & inter ve-  
re medicam, utilem, expertam, probatam, appro-  
batam & vitæ atque sanitati congruam illorum commen-  
dationem: alias quidem nullus sane remediorum defe-  
ctus, quin rectius copiosus illorum apparatus adest: ne-  
que etiam theoriæ de medicamentis desunt; & sicut olim  
*Hadrianus* Imperator sepulchrali marmori hanc epigra-  
phen incidi fecit: *multitudo medicorum perdidit Cæsarem:*  
ita licebit dicere: multitudo remediorum & speculatio-  
num perdidit medicinam; enim vero quo magis de ex-  
terno statu atque ornatu remediorum solliciti sumus,  
quo magis in materiales illorum qualitates scrutamur,  
quo magis eorum comparationes cum aliis materiis se-

Etamur & præcipui respectus obliviscimur , nimirum quomodo remedia sese ad motus vitales habeant , aut quomodo cum sensibilitate hominum convenient &c. eo majoribus difficultatibus , & equivocationibus & incertitudinibus Medicina submittitur . Sed quo denique hæ nostræ animadversiones tendant ? facile in illam censuram incidere possimus , quasi contra nos ipsos pugnemus , loquamur & conatus nostros reprehendamus : nupera enim occasione de Medicamentorum modo operandi in corpore vivo actum fuit , circa quam eandem considerationem præsens noster labor adhuc occupatus est , quoniam hæc tractatio non peracta fuit : quis vero non facile agnoscat , quomodo hæc indagatio & explicatio modi operandi , ita directè & positivè ad ipsius medicæ artis exercitationem haud pertineat , sed quod magis ad instrumentorum quibus medica ars utitur , disquisitionem pertineat , qua notitia tamen artifex etiam sine singulari danno carere posset : sed quantum quidem reminiscimur , in primo hujus Thematis specimine indicatum fuit quomodo hæc consideratio modo inutiliter & steriliter tractetur & instituatur , & quomodo vicissim judiciose & fructuose perpendatur atque agitetur : quod si itaque in aliqua animadversione qualescunque utilitates emicent , vix à scopo suo aberrabunt , qui illius observationis per tractationi intenti sunt : quo loco in mentem nostram incidit effatum Platonis in *Ethydem* : *plus est puto* , dicit , *cum quis re quapiam abutitur , quam cum omnino non attingit* : *illud siquidem malum est ; hoc nec bonum , nec malum* : quamvis quidem id potius approbaverimus , quando consideratio quædam plane non attingitur , ac si in abusum tra-

trahatur ; tamen vix rejiciendus erit labor , qui in viliori etiam observatione contentos utiles & ad promoven-  
dam veritatem medicam idoneos & necessarios respe-  
ctus commendat & producit : ita contingit aliquando,  
ut res , quæ minoris existimationis esse videntur , sub  
congrua applicatione sufficientem utilitatem inferant ,  
quare recte *Tullius Lib. V. de Finibus* dixit : *omnium re-  
rum principia parva sunt , sed suis progressibus usu augentur :*  
hinc minores considerationes majoribus manus præ-  
bent & in nostro foro aliquo modo veritatem medicam  
adjuvant : ob id etiam semel ceptum laborem non in-  
dignum judicavimus , quo continuetur & per plures  
disquisitiones & explicationes veritatis medicæ accre-  
menta promoteantur : quin rectius reprehensione ali-  
qua illi conatus digni censendi essent , qui quando se-  
mel alicui negotio manus applicuerunt , in ipso opere  
manus retrahunt & imperfectum opus relinquunt :  
placuit eapropter , cum nostrum officium sit Inaugura-  
li dissertatione thema quoddam , medico usui accom-  
modatum , elaborare , doctrinam de MEDICAMEN-  
TORUM MODO OPERANDI IN CORPORE  
**VIVO** Specimine secundo continuare , & hanc animad-  
versionem ad usus vere medicos dirigere : adsit nobis  
in hoc conamine divina benedictio , quo propositum  
nostrum exoptatum salutarem scopum as-  
sequatur .

## §. I.



**X**ploratio virium medicamentorum ab omni quidem ævo satis sollicitè quidem instituta & continuata, sed multis etiam difficultatibus & ambiguitatibus unquam obnoxia fuit; quare remedium quoddam laudatur ab his, culpatur ab illis, & sicut juxta Senecæ effatum in Epist. 116. nullum vitium est sine patrocinio, ita secundum Montanum in Libello de gradibus & facultatibus medicamentorum, nullum virus est, quod non panegyrico gaudeat: si vero in ejusmodi rebus, quæ in sensus incidunt, ut sunt medicamentorum diversi effectus, tantæ incertitudines atque tergiversationes occursant, quid mirum est, si in aliis respectibus, externos sensus non offendentibus, adhuc majores difficultates, dubitationes & hæsitationes occurront: hujus posterioris sensus sunt operationes medicamentorum internæ, quæ ita manifestæ neutiquam sunt, ut propterea facile objurgatio illa in medicinam transferri possit, quod tantum conjecturalis existat: neque quidem audienda & attendenda erit illa obtrectatio quasi eapropter modo operandi medicamentorum medicus nihil certi, verique assequi possit, quoniam de illorum efficacia nullam manifestam & visibilem evictionem habet, aut quasi hæc operatio in sensus externos haud incidat: illud interim profundentali hujus disquisitionis illustratione inservit, quod medicamenta operentur in corpus, & quidem sub aliis phænomenis in corpus vivum & sub quibusdam aliis vicissim in mortuum: deinde quod medicamentorum nudæ physica operatio ut plurimum magis noxia, quam proficia fuerit, v. g. si salia detersiva modo in ventriculo manerent, neque ulterius promoverentur, plus illum offenderent,

villoſam illius tunicam *colligarent*, nerveam ventriculi  
tunicam magis *vellicarent* & maiores molestias parerent:  
quod vero talia *intimius* transferantur, neque per vomi-  
tum *rejiciantur*, id non *physicæ* alicui efficaciæ, sed *altiori*  
*directorio* accensendum est: porro ad *fundamentalem* hanc  
animadversionem spectat, quod *corpus læsum se ipsum* re-  
ſtituere & *curare* non possit, sicut in *tota rerum natura*  
nullum *compar* exemplum occurrit, quod ulla *materia corrupta* & alterata, *se ipsam emendare* possit: ubi ridicu-  
lum *esset conamem & refugium*, quasi hanc *potestatem*,  
*se ipsum curandi & corrigendi*, Deus *soli corpori humano*  
concesserit; quod assertum minimè ab *effectu demonstrati*  
potest, cum *effectus* quidem *spontaneæ curationis verus*  
ſit, an vero hic *effectus à falsis illis principiis pendeat*,  
nondum *rationabiliter demonstratum* conſtat: propterea  
neque *corpus neque materiale instrumentum læſionem*  
ſuam reparat, sed *rationalis* hujus *instrumenti applicatio*  
plurimum contribuit ad *salutarem effectum*: inde vero  
perpetua eluceſcit *differentia* inter efficaciam *instrumenti*  
*materiale*, inter justam *instrumenti applicationem* &  
inter *effectus physici*, ab *instrumento* pendentis, receptionem  
& *aëſtimationem*: neque quidem vel ulla oblata *remedia* *sa-*  
*lutarem aliquem effectum promitterent*, ni cum *vitalibus*  
motibus, qui non è *corporis*, sed *naturæ* energia fluunt, di-  
rigerentur; hinc ad operationum *medicamentorum* no-  
titiam maximè contribuit cognitio *motuum vitalium & i-*  
*psiſus œconomiae vitæ atque sanitatis*: omnium maximè  
tamen ad *salutarem* *remediorum effectum* contribuit *in-*  
*terna sensatio*, quæ iterum minime cum *corporeis qualita-*  
tibus confundenda, sed per multiplices demonstrationes  
*naturæ* capacitatī & operationi competit; qua *sensatione*  
mediante, oblatorum *remediorum physicæ efficaciæ percipi-*  
*untur* & subinde aliæ *convenientes* & *salubritati acquiren-*  
*dæ* *inſervientes commotiones* *subordinantur*: hæc uti prin-

## 10 DE MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI

cipalia sunt fundamenta ad medicamentorum operationem cognoscendam necessaria, ita plura suppeditari possent, ni hæc hoc ordine sufficere videantur.

### §. II.

Minime tamen competit medicamentis certas vires & qualitates ultra modulum suum imputare; neque vero propterea asserimus, quasi remedia plane otiosa sint, licet in multiplici casu ejusmodi effectus, qui alias remediorum usum consequuntur, sua sponte occurrant, adeo ut sub naturæ potestate sit, evacuationes & alterationes administrare, & illas quidem vel augere vel minuere, has vero tum in materias, tum in motus transferre & exercere: quamvis quidem sua sponte tales operationes aliquando natura exerceat, tamen nonnunquam etiam illa admonitione quadam indiget, aut levamine quodam opus habet, quo salutares & necessarii effectus citius & certius impetrentur; quæ ipsa consideratio in moralibus negotiis suum fundamentum habet, ubi interdum certæ causæ & occasiones conquirendæ & offerendæ sunt, quæ necessarias operationes excitant, quamvis illas interdum anima sponte administret: est itaque remediorum effectus mere physicus, cum per salina, sulphurea & terrea sua principia vel in fluidas, vel in solidas partes operentur: sed certe hic effectus nondum medicus esset, nisi à natura concurrente & superveniente demum rite disponeretur: quodsi enim medicum effectum curatius pervolvamus, tunc ille non aliis est, quam qui diversis causis ledentibus subjugandis & expugnandis competit & legitimè convenit: jam vero si remedium quoddam adhuc potentius corpus stimularet, vellicaret, pungeret, roderet, afficeret &c. tunc propterea non superveniet evacuatio, nisi in corpore sensatio adesset: sentire vero, non est proprietas materiæ, quia consistit in reflexiva perceptione & conjuncta estimatione grati aut adversi: sterilis proinde omnino est assertio in subsidium hujus considerationis spiritus ac-

accutare, iisdemque facultatem sentiendi & gratum ab integrato discernendi affingere; quemadmodum talis proprietas mentalis & moralis in nullius materiae potestatem cadit; unde certe *fabulosa* & *comica* esset illa ætiologia vomitus per artem provocati, quando dicitur, quod remedia emetica nervosum plexum stomachi rodant, inde contingere, ut è *cerebro spiritus* currant ad volentque, velut araneus ad muscam, in tela sua irretitam & captam, hinc hōce spiritus ob *adversam* & molestam *rationem* ventriculum inverteret & denique emeticum ingestum simul exturbare: quis vero ita vanus & credulus fuerit, quo ejusmodi commentis & ridiculis narratiunculis assensum præbeat: exinde illud tantum brevibus colligimus, quod neque *corpus*, neque *remedium* ad *evacuationem* celebrandam *per se* satisfaciat, sed quod secundum remedii oblati efficaciam physicam natura motus suos applicet, disponat & dirigat, quare in tali statu neque *remedium* neque *natura* in *otio* sunt; illud efficit, quantum potest, *citra respectum* ad *salubritatem*; hæc vero operatur, quantum pro corporis *conservatione* & salvatione debet atque convenit.

### §. III.

Sed ne diutius in *generaliori* introductione subsistamus, nunc in præsenti tractatione in eo termino atque studio progredi lubet, in quo nupera occasione prius specimen substitisse recordamur: cepta fuit hæc disquisitio in remediorum *evacuantium* explicatione; unde actum fuit de eo, quomodo *Emetica*, *Cathartica*, *Diaphoretica*, *Diuretica*, *Hæmorrhagias* promoventia, uterus purgantia, operantur: nunc aliorum *Evacuantium* mentio injicienda erit è quibus in ordine **EXPECTORANTIA** occurront, quorum usus quidem per quam familiaris est, si vero illorum modus operandi recte innotuerit, tunc variæ circumstantiæ providum illorum usum illustrabunt: vulgo quidem *Expectorantia* illa dicuntur, quæ excretionem muci

*mobilioris è pectore* adjuvant: quo loco hos *necessarios* respectus inculcare debemus, primo quod hanc speciem excretionis in *omni* ferme *ætate* natura *sua sponte* perficiat, ut nullo *artificio* concurso opus sit: unde in *illo casu artificialis* expectorationis promotio locum invenit, quando *spontanea* hæc evacuatio *deficit*: secundo quod magnus passim *error* committatur circa Expectorationis *administrationem*, ubi remedia hujus prædicati adeo *incaute & immoderata* aliquando ordinantur, ut magis materiæ intra pectus *convehantur*, quæ *sua sponte* eo haud pervenissent; tertio quod aliquando secundum *triviale* medendi methodum Expectorantia in *tali casu* ordinentur, ubi e pectore *nihil* evacuari debet, sed ubi demum *præter utilitatem & necessitatem* hæc excretio urgetur: quarto quod sub hac *insolita* evacuatione, *præter necessitatem* inducta & *seducta*, aliæ magis *ordinariæ muci excretiones imminuantur*, unde in *Historia practica* satis notum est, quomodo sub continuata *largiori Expectoratione* non modo excretio muci *è naribus imminuatur*, sed & ipse *alvus* exsiccatur: quinto, quod expectoratio minime *ordinariis excretionibus accensenda* sit, quoniam in *perfecto & legitimo sanitatis statu*, nulla talis muci collectio *in pulmonibus & excretio ex iisdem fieri* debet; uti *pulmonum officium pro muci tratione & asservatione* dicatum minimè deprehendimus, cum *tenera* hæc pars ne *physicam* quidem relationem habeat ad ordinariam *muciditatis directionem & receptionem*: quando verò *extra ordinem* contingit, ut *mucus intra pulmones* secedat, tunc omnino *necessarium & proficuum* est, ut ille mucus *è pectore ejiciatur*, neve *nova molestia & inutilis quantitas intra illud* convehatur: sexto, quod ipsa expectoratio nitatur *mobilitate* illius materiæ, quæ *è pectore evanenda* est, & motu illo, qui pro hoc *actu perficiendo* satisfacit: septimo, quod materiæ *mobilitas dupli* præcipuo modo *peccet*, adeoque convenienti aliquam

præ-

*præparatione* indigeat, dum vel *nimiris spissa* & *tenax* est, ad-  
eoque sub *omni motu* & *molidine excretorio emoveri*  
non potest, quin potius fortius *intra pulmones infarcia-*  
*tur* & *impastetur*; vel dum *nimiris tenuis* & simul *acris* est,  
adeoque propter *subtilitatem suam* haud facile *evehī* pot-  
est, interea per *acrimoniam suam teneram pulmonum*  
*texturam magis afficit & offendit*: *octavo*: quod ex *nudo*  
*motuum vitio* citra *singularem materiæ aut partis culpam*  
*hæc expectoratio continuari possit soleatque, testimonio*  
*illorū catarrhorum habitualium, pectus detinentium &*  
*afflignantium*, sicut vicissim *cura* in tali afflictionis specie  
magis ad *motuum*, quam *materiarum vitia dirigenda* est:  
*nono* quod in *subjectis sanis*, quæ *nulla pectoris afflictione*  
*laborant*, per *expectorantia* remedia *motus ita seduci pos-*  
*sint*, quo *insolita pectoris mucida oppletio & connexa ex-*  
*pectoratio* consequatur: *decimo*: quod *naturæ in more po-*  
*situm sit*, quando *aliae ordinariæ excretiones*, maxime qui-  
dem *alvinæ & periphericæ turbantur*, aut *insufficienter pro-*  
*grediuntur*, quo cum *vicario* hoc *expectorationis actu suc-*  
*currat*: *undecimo*: quod *singularis humorum directio in-*  
*tra pectus ad expectorationem requiratur*, cum vix ita *for-*  
*tuito humorum præparatio in pulmonibus succedat*, neque  
*evacuatio ex illis tam confuse procedat*: *duodecimo* deni-  
que quod ad *salutarem* hujus expectorationis administrata-  
tionem *artificiosam & medicamentum & natura & medicus*  
requirantur.

#### §. IV.

Ex hisce considerationibus nunc paulo clarius expli-  
candus erit *modus*, quo *Expectorantia* remedia operantur:  
continent vero hæc medicamenta *volubilem aliquam muci-*  
*laginem, sive oleosam, sive pulposam, quare lenientia, pingvia, ge-*  
*latinosa & similia, expectante qualitate prædicta sunt*; ho-  
rum *effectus duplex* est, primo liberant & facilitant *ordina-*  
*rias excretiones, præcipue alvinas, unde talis ventilatio in-*

ducitur, quo n*on* inus *affluxus humorum ad pectus vel acriter continuent*, vel fortius *augeantur*: deinde eadem medicamenta *pulmones & contentos humores emolliunt, involvunt, leniunt & volubilem atque mobilem consistentiam* iisdem inducunt, quo eò *facilius deinde evacuari mucida recrementa queant*: quod vero hoc tempore & in *hoc casu horum remediorum mucilago magis ad pectus transferatur*, iterum peculiari annotatione digna est *observatio*: non quidem negamus, quod substantia hæc *mucilaginosa in universam massam sangvinis dispersa & immixta sit*, & quod *æqualiter per corpus circumvehatur*, unde *varias alias excretiones facilitant*: attamen quia nunc *transitus motuum* sive *congestiones ad pectus auctiores sunt*, ita cum reliqua massa sangvinis connexa & commixta materia *mucilaginosa copiosius intra pulmones transfertur & illic præsentibus immobiliaribus, aut nimis subtilibus & acribus materiis affunditur*, quæ exinde *mobiliorem consistentiam* nanciscuntur: aliàs in subjectis *sanis hæc expectorantia usurpata pulmones*, tanquam partem *teneriter membranaceam*, magis quam *alias partes membranaceas*, quo sangvis non tam copiose pertingit, eliquant, leniunt, *emolliunt & relaxant*, adeoque tantum efficiunt, quo *intra illos* talia recrementa serosa mucilaginosa facilius *secedere possint*: inde etiam contingit, ut per qualem cunque *aptam occasionem ab ordinariis viis & ordinibus deducta natura, nunc insolitas vias sectetur & erroneo operandi modo inversam hanc muci excretionem continuet*, propterea que ab ordinariis locis deflecat, quin hæc successivè *activè occludat & in aliena illa loca tenacius decumbat*: quapropter sub *immoderatori expectoratione alvus communiter siccior, segnior & strictior* est, quoniam naturæ raro familiare est, uno *tempore*, uno eodemque *gradu unam eandemque excretionem ex supernis & infernis locis simul perpetrare*: habent itaque quædam ex expectorantibus illam *materialem efficaciam*, ut pul-

pulmones quoad *texturam* suam *emolliant*, eosque eo ipso disponant, quo non modo sanguis per illos *irregulariter* & impeditè transfluat, sed quo *secesio* illa mucilaginosa *intraillos* copiosius contingat: hinc evenit, ut, quo plus expectorantia talia adhibentur, eo plus *pectus* *oppleatur*, ut semper materia *expectoranda* adsit & expectorationis interdum, ut ajunt, *nullus finis* reperiatur: quid quod talia *emollientia* illam efficaciam habent, quo eo usque *ordinariam* membranaceæ pulmonum *texturæ tensionem* alterent atque *emolliant*, ut suspecti *infarctus*, periculose *stases* & plenariæ *corruptiones* conseqvantur: unde facile colligere licet, quanta cum *prudentia positiva* talia expectorantia usurpanda sint, ni noxam parere debeant: quamprimum vero *materia* in pectore *mobilis* reddita fuit, tunc ad *ultimum excretionis* & formalem quidem successum talia *expectorantia nihil* contribuunt: etenim excretio hæc cum *succussatoria* tussiculosa pectoris commotione absolvitur, quacum materia excernenda attollitur abstergitur & *executitur*; hanc *tussim* non efficit medicamentum, neque etiam *mucus*; siquidem in hoc *stimulans* qualitas accusari vix potest, dum communiter tanta *falsedo* ipsi haud inest, quanta ad hunc *effectum* idonea supponitur: neque *gravitas pressoria* nexus rationalem habet cuin *tussi*, quoniam talis *materia* per *qualitates* & *circumstantias physicas* com mode in pulmonibus hærere posset, etiamsi non *excernetur*: sed dum *tussis* absolute tendit ad *excretionem* & desinit in eadem, eapropter *rationabilem* illum nexus comprehendimus, quod hæc *tussis* non sit *effectus materiæ* excernendæ, aut *organī affecti*, sed *naturæ*, quæ mediante hac commotione ad *salutarem evacuationem* collimat: id vero eo magis ex eo elucescit, quia *tussis* non primario cum pulmonibus perficitur, sed cum *musculis pectoris* & *superioris dorsi* regionis ad *inspirationis* negotium & *thoracis motum* contribuentibus: si itaque *materia* in pulmonibus *tussim*

provocare deberet, quomodo possibile esse, quo illius effectus extra pulmones *in extēnum thoracē* se diffundat! ubi aures valde affligunt atque vexant, illæ infirmæ exclamationes, quasi hoc ob *consensum generis nervosi*, contin-gat.

## §. V.

Præter hæc expectorantia *lenientia & emollientia*, dan-tur adhuc *alia* remedia, quæ ad *expectorantem* effectum or-dinantur; ex illis quædam sunt *resolventia & discutientia*, quæ dum *congestiones* à pectore *avertunt*, tantum etiam eo ipso adjuvant, quo *reliqua* recrementa *in pectore* ob-hærentia *facilius* tractari & moveri queant: singularem itaque *efficaciam* & operationem *in pectus* habet *anisum & feniculum*, quæ species non modo *resolvente & discutien-te* qualitate præditæ sunt, sed & *lenientes*; cum semina talia *subtili mucilagine* involvente & demulcente gaudeant: quo illa adhue animadversio spectat, quomodo per hæc remedia pulmones quantisper *roborentur*, ne nimiæ *seque-strationi* aliarum mucilaginosarum impuritatū pateant; ha-bent enim hæc species in partes *membranaceas nervosas* re-lationem & efficaciam *roborandi*; unde in *oculorum & me-senterii* morbis conveniunt; sicut enim *sensibilitas* in *di-versis corporis partibus gradu differt*, ita diversa *remedia* diversis partibus accommodata aut *adversa* esse deprehen-duntur, uti *nervosis* partibus, *mercurialia & pingua ran-cescentia* inimica sunt. Interdum etiam *narcoticis* reme-diis vis *expectorans* adscribitur, quæ vero magis *privativa*, quam positiva est, quando videlicet, ob nimium impetum *congestorium & oppressionem* atque *præclusionem* pectoris actualis expectoratio deficit, cum tamen materia excer-nenda *in pectore* hæreat, quando itaque hi motus, qui ex-cretionem è pectore impediunt, mitigantur, aut pro neces-sitate urgente, sedantur, tunc talium remediorum usum actualis expectoratio consequitur. Alterius indolis & effi-caciz

caciæ expectorantia illa sunt, quæ motum pectoris *tussiculosum* provocant, quando deficit: si videlicet materia in pectore hæret, quæ excernenda est; si porro hæc materia sufficienter mobilis est, interea tamen *necessarius motus*, ad excretionem conveniens, deficit; in quo passu unicum illud auxilium requiritur, quo *motus tussiculosus* excitetur: hoc vix commodius fieri potest, nisi *talia* subjecta adhibeantur, quæ pulmones irritare adjuvant: quandocunque enim hujus conditionis remedia ordinantur, tunc *sensibilior* tex-tura pulmonum ab iisdem facilius alteratur: ipse proinde *motus tussiculosus* non penitus est *turbulentus* aut confusus, sed ad *remotionem & excussionem molesti* subjecti è pectore directus: quando itaque *irritantia* talia subjecta offeruntur & intra pectus transferuntur, tunc *iisdem* sese *natura* nullo *efficaciori & manifestiori* motu *opponere* potest, quam hoc *tussiculo*, mediante quo *reliqua* in pulmonibus hærentia recrementa ejiciuntur: hujus indolis remedia sunt *acidæ, austera, quæ* aliàs ad *tussim* commovendam contribuunt; tanto magis si vel *simpliciora*, vel paulo *largiora* exhibentur, quæ in tali casu, ubi nunc pulmones laborant, tanto facilius operantur: ut plurimum quidem *acidæ* qualitas non tam *cum sanguine* intra pulmones transfertur, quam è *fauribus* hic penetrans sapor per *asperam arteriam* intra pulmones *communicatur*, qualis sapor *acerbus, austerus & acidus* fatis frequenti effectu in vita communis hunc motum *tussiculosum* provocat.

## §. VI.

*Duplex* adhuc supereft *experimentum*, quod in medicina dom. *Spica* interdum *expectorantem* effectum in *infantili* ætate post se trahit: primo quando sub *tenaci & mucida* pulmonum oppletione pectus *extrinsecus* inungitur cum subjectis *pinguis & oleosis*, quæ dum *poros cutis* in pectore obliniunt, eo ipso *tenuium aquo-serorum humorum transitum* impediunt, qui *introrsum* secedunt & se-

questrantur & in pulmonibus tenacem mucum emolliunt, leniunt & fluidiorem reddunt, ut posthac eo facilius expectorari possit, haud vero hoc serum aquosum per se intra pulmones delabitur, sed sub peculiari concursu directorii naturæ introrsum intra pulmones transfertur; alias æque facile sub circuitu sanguinis per externam regionem pectoris in reliquam sanguinis massam transvehi posset; ast nunc sub illa afflictione, ubi pulmones cum muco obsessi sunt, transpiratio vero sensibilis impedita est, hoc aquosum serum intra pulmones transfertur & cum eodem tenacior hic mucus in mobiliorem consistentiam convertitur: alterum experimentum perinde est topicum, quando cum cepis plantæ pedum fricantur, unde expectoratio difficilior perinde in infantibus paululum levatur, dum ex una parte principia illa salina ex cepis sese intra poros insinuant, sanguinique communicata, mucum in sanguine resolvunt & tantum efficiunt, quo in teneris infantibus reliqua excretiones muci ordinariæ in justum ordinem convertantur, dum singulari tali modo colliquatio mucido-serosis humoribus inducitur; & de hac resolutoria efficacia pectus una participat, ut ex eodem expectoratio facilis succedat: ex altera parte hæc afflictio ceparum ad plantas pedum, repellentem efficaciam exserit, dum partes hæ sensibiles adeo afficiuntur, ut temperati rubefacientis remedii & effectus instar congestiones a pectore avocentur, eo ipso expectoratio reliqua sublevetur, ne pectus ulterius cum novo humorum affluxu obruatur: cur vero motus congestorii talibus avocatoriis obtemperent & stimulus in exteriori corpore applicatos sequantur, forte alia occasione explicabitur: sufficiat hæc de Expectorantium modo operandi brevibus proposuisse.

### §. VII.

Missa hac Expectorantium consideratione, nunc ad Apophlegmatizantia remedia progredimur, horumque modum

dum operandi brevibus perlustrabimus: ex hisce primo  
**MASTICATORIA** pervolvemus, quæ quidem alias **rario-**  
**rem usum & utilitatem** in Medicina habent; sed ne horum  
**evacuantium** obliviscamur, illorum mentionem injicie-  
 mus: dicuntur vero *masticatoria*, quia *masticationis* actu  
**tractata & comminuta**, minime vero *deglutienda*, largiorem  
*salivæ affluxum & effluxum* causantur: ubi iterum pro me-  
 liori sensu reliquæ deductionis significandum est, quod  
*affusio salivæ intra fauces* satis *evidenti naturæ dominio*  
*subjecta* sit, quæ propterea sua *sponte largiori copia tacite*  
*hunc humorem* in suis *se- & excretoriis organis movet*,  
*promovet & emovet*: quemcunque vero actum *sua sponte*  
*natura administrat*, *adeundem etiam per varias causas exci-*  
*tari* potest; inter quas quædam *internæ*, aliæ *externæ* sunt:  
**de prioribus infra dicendi occasio** decurret: ad *externas*  
**causas** referimus *masticatoria remedia*: ubi iterum il-  
 lam opinionem *modestè* declinamus, quasi *salivæ co-*  
*piosior affluxus*, neque *naturæ*, neque *medicamenti*  
*concursui*, sed tantum *actui masticationis imputandus* sit:  
**cui sententiæ** has animadversiones opponimus, *primo*  
*quod nuda maxillarum fortior constrictoria compressio &*  
*glandularum salivalium connexa coarctatio* negotium præ-  
 sens non absolvat, alias *alia qualitercunque aucta & citra*  
*masticatorii remedii usum arbitrarie intensa talis commotio*  
*maxillarum* satisfaceret: *deinde* masticatoria talia remedia  
 vel *levissime masticata*, vel tantum intra fauces aliquandiu  
*detenta*, hunc effectum *copiosoris salivæ affluxus* causantur:  
*porro longe alterius* considerationis esse judicamus, quid  
 fiat tantum secundum *leges & necessitates mechanicas* &  
 quid fiat *in ordine vitali*, cum processus vitales, *physici ex-*  
*perimentales & mechanici* non in *unum chaos confundendi*  
 sint &c. missis pluribus animadversionibus, quæ non *præ-*  
*sentis* scopi sunt: neque quidem medicamentis *tantum*  
*imputamus illam efficaciam*, quasi salivam copiosius, *atra-*

bant & allicant, quæ nimis *obscura* & *intricata* esset assertio, in qua plane nullus *evidens* & vere *rationalis* conceptus occurrit: neque etiam huic negotio abunde satisferet *nuda* humorum salivalium *colliquatio* & *resolutio*, quam demum factam *ultima* illa excretio sequi deberet; cum humores in *œconomia vitali* haud *ita passive elabantur*, sed cum *peculiaribus motibus* evacuentur & exprimantur: in hoc *medico masticationis successu & effectu duplex consideratio* instituenda est, *primo remedii, deinde naturæ, sive quid remedium efficiat & quomodo natura cooperetur*: remedia masticatoria vel sunt *acria, saline-sulphurea*, papillas faucium *nervosas* & glandularum maxillarium superficies offendentia & *acredine* sua *irritantia*, ut sunt radices *acriores*, aromata & similia alia subjecta; vel sunt similia quæ humores salivales *liquant*, resolvunt & *fluidiores* reddunt; vel denique sunt quædam subjecta, quæ *dentibus* tantum *compressa* & sub lingua voluta, salivæ largiorrem *affluxum* causantur; haud vero tantum *hic remediorum effectus & modus adhibendi* satisfacit, sed quia *acris* illa faucium *irritatio & compunctio* sensum *molestiæ* inducit, quomodo *rationabilius* huic *molestiæ abigendæ suis consiliis* atque viribus succurrere posset *naturæ*, nisi salivam *copiosius* intra fauces affundat & *cum hac acres* illas moleculas, superficietenus adhærentes, *eluat, diluat, abstergat & debilitet*, quin denique sub hoc salivæ *vehiculo & connubio* penitus evacuet & *removeat*: quando vero remedia quædam humores in fauibus præsentes & confluentes efficacius *resolvunt* & attenuant, quid mirum, si natura non modo hos *fluidiores* humores nunc majori *alacritate* exprimat, sed & sub hoc actu *à tergo* plures *aliros convehat & excernat*: haud enim necessitas *physica* est, ut humores tales liquati *sponte elabantur*, cui *passivo elapsui repugnat* constans ille motus *tensorius*, qui tam in *tunicis* faucium, quam in *glandulis salivalibus* adest & talem elapsionem im-

pe-

pedit: si denique *leniora* quædam subjecta dentibus comprimuntur & lingua circumvolvuntur, etiamsi *lenior* fuerit actus ille *compressorius* & masticatorius, tunc ob *con-suetudinem* naturæ, qua aliàs *sub masticatione* saliva *copiosus* intra fauces congeritur, nunc similis *copiosior illius af-fusio* contingit: unum verbum adhuc adjiciemus de illis subjectis, quæ ob *adversum* & *nauseosum* saporem *largiorem* salivæ *affusionem* intra fauces concitant: haud vero hunc modum provocandæ evacuationis salivalis *probamus*, quia adeo *odiosus* & cum *cardialgicis* & *vomibundis* commotionibus conjunctus est: hunc adversum saporem natura & *salutari* & *rationabili* conatu e faucibus tanquam organo *gustus semovere* contendit, *prævia largiori* salivæ *affusione* & consequente subjecti *adversi involutione*, *extenuatione*, *dilutione* atque *humectatione*, quo eò *facilius* deinde rejici & penitus *removeri* possit.

### §. VIII.

Alterius speciei *Apophlegmatizantia* remedia sunt illa quæ mucum serosum è *naribus* educere adjuvant: hæc ipsa vero evacuationis species naturæ aliàs *usitata* est, qua præcipue *caput* ab impuritate *pituitosa* liberare solet, dum successive in *glanduloso-cribrofas* capitis superioris regiones hunc humorem sequestrat & denique sub *voluntaria emun-tione* narium eundem dimittit: interdum etiam *extraordinem* hæc evacuatio augetur frequenti illo *Coryzæ* successu, ad quem *internæ* & que ac *externæ* causæ contribuere observantur; & quemadmodum hæc excretio merito *vitalibus* operationibus annumeranda est, qua *superflue* aut *ini-micæ* & *molestæ* cuiusdem materiæ remotio perficitur, eo-que ipso corporis *commodum* promovetur, ita hunc actum *non corporis efficaciæ*, *non materiæ excrementitiæ* qualitati, neque *causis externis* quoad *principale* sui directorium, sed *naturæ* humanæ iterum adscribo; cui *interest*, quo cor-pus sit *purum* & cui *incumbit*, quo corpus *læsum* & *impurum*

repurget & defendat: & hæc eadem excretio vario *artificiali* modo provocari potest, & quidem in illo casu ubi natura eandem *segnius* administrat, aut plane intermittit, aut ubi necessitas urget, quo eadem paulo *largius* succedat; in qua necessitate *diversa* *adminicula* adhiberi possunt: è quibus *usitatiora* illa sunt, quæ *nares* sensibili quodam *stimulo* afficiunt, aut quæ *citra* eximium talem *irritationem* easdem tamen *molestant*, aut quæ *humores* in *naribus* efficaciter & repente *colliquant* atque *resolvunt*: & *triplici* hoc modo haud *solum* medicamentum operatur, sed *naturæ* superiori *concursu* illud indiget; interim neque *natura sola* operatur, sed *remedii efficacia* etiam perpendenda & concilianda est: remedium enim vel *subtiliter* & *sensibiliter* *nares* *vellicat* & quidem *salino-sulphurea* sua *acrimonia*, quale medicamentum vulgo *Errhini* nomine venit, quod cum subtilibus moleculis sese *porulis* subtilis narium *membrane* sese *insinuat*, adeoque *tenerrimè* *nares* afficit: pro hisce materialiis *stimulantibus* averruncandis, *natura* intra *nares* *copiosorem* *pituitam* affundit & cum hac *acre* hoc remedium *eluit*, *diluit*, *involvit*, illius *acrimoniam* *hebetat*, è *porulis*, quibus se *insinuavit*, *abstergit*, partem ipsam *humectat*, quo minus *sensibiliter* ab hoc remedio offendatur, quin denique tota hæc pituitosa *colluvies* sub *constrictione* *tunicæ interioris* narium expressa, sine ulteriori commotione imprimis *sternutatoria*, educi potest: aliàs quidem *naturæ familiare* est, si sua sponte talem *excretorium* actum suscipit, ut materialiam *excernendam*, sufficienter quidem *mobilem*, facile & expedite excernat, quæ vero si *spissior* fuerit, neque excretioni facile *obtemperet*, ab eadem quantisper *præparetur*, & spontaneis *sternutationibus* concutiatur, quo paulo *fluidior* & *mobiliar* evadat & denique excretioni subordinandæ *facilius* obediatur: quædam horum *Errhinorum* remediorum illam *efficaciam* habent, ut *humores*, in *naribus* contentos, intimius *resolvant* & *colliquent*, quos deinde natu-

ra in hac *promptiori* sua mobilitate & *fluiditate* eo lubentius atque *facilius* exprimit & excernit, qui alias ad excretionem destinati sunt: dantur etiam talia *remedia* quæ ad *excretionem* & repurgationem narium contribuunt & *Ptarmica* vulgo vocantur, & à sua denominatione *sternutationem*, caufantur: *bis motus* vero non adeo *confusus* & turbulentus est, sed perinde ad *illum scopum* destinatus, quo *tale* remedium, quod ut plurimum *pulverulentum* est, adeoque nares *molestat*, elidatur & *excutiatur*: siquidem *crassiori* hac *commotione* pulverulenta talia *crassiora* remedia paulo *facilius exturbari* & projici possunt, quam si tantum *eluantur*: interim *plurima ptarmica simul* sunt *errhina*, ut propterea ab *intra* humores pituitosi copiosius ad nares convehantur & mediante *sternutatione* tali eo promptius removeantur & evacuentur: interea contingit, ut hac ratione *corpus* ab humoribus *molestis* pituitosis liberetur & repurgetur, quando evacuatio hæc *artificiosa* methodo paulo *copiosius* provocata fuit: ita etiam interdum contingit, ut citra *operosæ artis* concursum sub *communibus* *viciſſitudinibus* vitæ humanæ excretionis per *simplicissimas* causas provocetur; id quod accedit, si pulverulenta *sabulosa* copiosius inspirantur: neque oblivioni tradenda est *illa methodus*, qua fæminæ infantibus excretionem, humectationem & *aperturam narium* promovent & conciliant, quando *spissior* mucidas *interiores* nares obstruxit, ubi per *inunctionem* cum butyro aut *pinguedine* narium radici adhibitam succurrunt; modus operationis idem est, ac ille qualem de promotione *alvinæ* excretionis & *expectorationis* per *topicum pinguium usum* in *præcedentibus* animadversionibus prædicavimus & descripsimus: quin denique simplicissimum experimentum est, quomodo per qualem cunque *internam* narium *vellicationem* hæc species evacuationis promoteatur, dum ad *titillatoriam molestiam lenien-*

*leniendam humores largius affunduntur & ad adversum hunc sensum abigendum, sternutatio administratur.*

§. IX.

Cum haec tenus de diversis *anotericis* evacuationibus sermo institutus fuerit, mox in ordine placet SALIVATIONIS mentionem facere & illius *modum fiendi* & succedendi exponere: pro meliori hujus considerationis intellectu non alienum erit brevibus significare, quænam circumstantiæ in *spontaneæ* salivationis negotio occurrant ubi notandum est, quomodo in Se & Excretione salivæ ordinarie quidem *natura* occupata sit, dum hic actus vitales suas utilitates habet, proptereaque *oeconomia* naturæ subiectus est: neque quidem alias naturæ familiare est in ordinario statu *impuritates* quasdam cum saliva movere, commiscere se & excernere, interim neque etiam inusitatum ipsi est, in extraordinario statu alias materias cum saliva confundere & tractare, imprimis vero *tenuiores*, quæ *subtilitati* materiali & *fluiditati* salivæ non contrariantur, sed quoad utramque qualitatem cum eadem *conveniunt*: neque etiam inauditum est, quomodo in extraordinariis casibus aliquando *sua sponte* natura *largiori* quantitate salivam intra glandulas suas congerat & copiosius etiam egredit; ut nihil dicamus de celebri illo *criticorum ptyalismorum* documento: in quibus singulis passibus neque *saliva*, neque hujus *loca secretoria* pro causa *principali* & *efficiente* accusari & ventilari possunt, quoniam singularis hujus operationis *directio altioris* indaginis & capacitatis est, præcipue cum *subtilitas* salivæ ipsam *ultimam* excretionem non absolvat & *passivi* hujus humoris *lapsus* non facile *demonstrari* & vindicari possint; eapropter primam hanc & *fundamentalem* veritatem præmittimus, quod in ordinario statu *oeconomia* vitalis salivatio à *natura* pendeat & non à *corpore* & *humore*:] interim respectu hujus humoris requiritur, quo in ipso sufficiens *fluiditas* adsit, ne

ex

excretioni *resistat*: hinc etiam contingit, ut, si humores salivales *attenuantur* & mobiliores redduntur, ipsa *se* & *excretio* salivæ *promptius* succedat, ast *citram* aliquam *necessitatem* physicam & mechanicam, quoniam ob causas *easdem* physicas & mechanicas *fluidior* talis saliva nihilo minus in suis excerniculis hærere & *remanere* possit: unde nobis nimis *crassus* ille videtur conceptus, quasi *mobilior* saliva *sponte* è glandulis suis & aptis ductibus aut porulis affluat: imo memori mente tenendum est, quomodo ipsa *animi pathemata* in *motum* salivæ eminens & evidens *dominium* habeant; quemadmodum sub *nausea largior* saliva intra fauces profluit, haud vero ita *confuse* & tumultuarie, sed ad *promotionem* imminentis *vomitus*; non minus sub *desiderio*, lascivo & luxurioso *appetitu* eadem saliva *copiosius* ad fauces affluit: neque hoc tantum, sed constant exempla & documenta, quomodo per *animi pathemata* ipsa *crasis* salivæ alteretur, testimonio *iracundiæ*, sub qua tam ab *hominibus*, quam à *brutis animalibus* excreta & communicata saliva, varia *damna* causari solet: ita simile exemplum occurrit, quando *nutrices iracundæ* infantibus pulpamentum, quod antea *in ore* quadantenus refrigeruerant, sed eo ipso cum *saliva* sua iracunda imprægnarunt, præbent, ex quo ipsi variis incommodis *torminosis* & *inquietudinibus* subjiciuntur: ex quibus phænomenis, satis manifestis, testamur, quantum *capacitatem* habeat *anima* hominis in *motu* & *crasi* salivæ alterandis: quando etiam contingit ut aliæ materiæ, sive biliosæ, sive alterius speciei salinæ per *accidens* salivali humoris feso *associaverint*, tunc eadem sub hoc *connubio* una cum saliva excernuntur, testimonio *jetericorum*, *quartaniorum*, *scorbuticorum*, *venereo* contagio infectorum, alioque morbo maligno laborantium: neque contemnenda est illa observatio, quomodo *infantibus* cum *dentitione* concurfans *largior salivatio* æque testimonium perhibeat, quod

hæc excretio non à nudis turbulentis & morbidis spasmis pendeat, sed perinde sub directione & applicatione naturæ consistat, quæ cum hac salivatione peculiarem finem prosequitur, dum dentitionem facilitare & dolores in gingivis lenire & demulcere contendit: minime enim nudi spasmi satisfaciunt effectibus salivæ excretoriis, cum indifferens ratio & relatio sit spasmorum ad infarctus, retentions & excretiones; proinde hæc salivæ largior affusio aliquam utilitatem involvit; spasmi vero a morbo deducuntur; unde a causa juxta hypothesin morbida & effectu pernicioſo vix salutaris constans eventus deduci potest, ni in subsidium hujus opinionis quædam supponere necessitas cogat.

### §. X.

Et secundum has præmissas *fundamentales* animadversiones, nunc ad *specialiorem* hanc explicationem progrediemur: ex illis vero *remediis*, quæ ad artificiosam Salivationis provocationem inserviunt, vix aliud notius & usitatius est, quam *mercurius*, de quo ex ipsa observatione constat, quod præcipue in humores serofos mucido-lymphaticos operetur, eosque colliquet, resolvat, absterget & ad se & excretorias functiones præparet: quis vero sit *modus*, quo *mercurius* in hos humores operetur, adeo exacte non constat, nisi ad ipsius mobilitatem & penetrabilitatem tantisper provocare liceat, qua humores spissiores afficit & dissolvit: interim ille *defectus* atque nævus vulgo *physicam* nostram doctrinam premit, quod *relationum materialium inter se invicem* specialissimæ causæ nos communiter lateant, licet quædam etiam illarum pateant: illud interim negari non potest, quod facti est, uti post congruum mercurialium usum innotescit, quomodo prædicti humores magis alterentur, tali quidem ratione, ut iidem humores deinde facilius evacuari possint; unde eo ipso iterum colligere licet, quomodo *mercurialia* illos humores

res liqueant & resolvant, imprimis cum excretio, quæ sub certis circumstantiis mercurialium usum consequitur, non spissa, sed tenuis existat: quando itaque in affectu venereo humores lymphatico - seroso - salivales mucilaginosi cum inquinamento saline fermentativo venereo commixti & exinde in spissorem consistentiam conversi sunt, tunc remedia mercurialia hosce humores dissolvunt, ut nunc venereum subtile miasma tenerius cum humore salivali fermentativo confluens, cum saliva tanquam substantia se- & excretoriæ functioni submissa evacuetur: illud tamen adhuc notari debet, quod contagium venereum primario in humores spermaticos & deinde in illos, qui sperma consti- tuunt, quales sunt lympha & saliva, operetur: si itaque hoc miasma venereum cum lympha & saliva proprius con- venit, lympha vero nullis excretoriis motibus in ordinario vitalitatis statu est obnoxia, saliva contra indies excreto- riis talibus commotionibus exposita est, ita etiam contin- git, ut hoc venereum miasma cum salivali humore, flui- diori & tractabiliiori, nunc commoveatur & ad ultimam excretionem promoveatur: interea tamen remedium mer- curiale, sive intrinsecus sive extrinsecus exhibeatur, ultra physicam suam potestatem nihil operatur, dum tantum in- quinamentum venereum, aut interdum etiam scabiosum & ulcerosum a reliquo lymphæ commercio colligationis & dissolutionis effectu abstergit, quod deinde cum reliqua serosorum & salivalium humorum colluvie confluit & posthac à natura peculiari & extraordinaria directione, in illas partes largius transfertur, quibus alias in ordinario statu saliva tractari, secerni & excerni solet; unde nunc saliva cum venereo miasmate largius commixta & inqui- nata copiosiori excretorio effectu proscribitur, quippe quæ utræque substantiæ, tam salivales, quam venereæ in præ- senti statu malum augent; unde in hac socialitate ratio- nabili inventione & salutari executione eliminantur: &

sub hoc *nexus* subtili ratione mercurius , qui hactenus in corpore *physicas* suas operationes præsttit , excernitur : haud tamen convenit largius mercurialia remedia ingere , alias *nervis infensa* fiunt & varias *noxas* pariunt : & quamvis mercurialia remedia partes *glandulosas intimius* penetrant & efficacius aperiant , attamen neque hoc ad miniculum propterea salivationem *absolvit* , nam *apertio* glandularum esset *universalis* ; quî itaque exinde *particularis* talis *excretio* provenire debeat ? nam ex illa ratione quasi mercurius glandulas & ductus aperiat sequi omnino deberet , quod mercurialia *omnes* evacuationum species *provocare* debeant , neque *singularem* relationem ad humores *serosos* , *salivales* , *lymphaticos* habeant : & licet iterum consentiamus , quod mercurius ob discretam suam *mobilitatem* partes porosas & *glandulosas facilius* penetrat & aperiat , tamen *singulari* ratione & consideratione induci , hoc problema solvendum & decidendum proponimus : drachma una aut altera *successive* adhibita *salivationem* causatur : quæritur quænam sit *proportio duarum* drachmarum ad *totum* corpus , & an hæc quantitas mercurii oblati *ponderositate* sua corpus & glandulas aperiat : quod problema non facile solvi poterit , ni varia *supponantur* , contra quæ tamen multa dubia , satis fontica & luctuosa proponi possent : neque denique provocatio ad *Sal* & *sulphur* mercurii , pro hoc modo operandi mercurialium satisfaciet : cum adhuc *peculiaris* respectus pendendi sint , quando remedium *mercuriale* sive per *Sal* sive per *Sulphur physicos* suos effectus præsttit : & cum inter *chymicos* valde *dubium* sit , an mercurius sit in sua essentia *salinum* , an *sulphureum* subjectum , ita in tantum credimus *suspendendum* esse judicium , cum ex *dubius* principiis & *præmissis* , nullæ veræ conclusiones formari possint : sufficerit in re tam *abstrusa* effectus potius *simplices* & *indubios* annotare & illos deinde ad *rationabilem* theoriam applicare .

applicare, quoniam ex *essentiis* rerum nullæ patent demonstrationes, dum rerum *essentiæ intellectum* nostrum *fugiant*, neque etiam ad *effectus substratos* explicandos, *primariò & ita quidem* spectant, prout impræsentiarum intellectui humano quadrat.

## §. XI.

Progrediemur nunc ad certas species *Evacuationum Serosarum*, quæ per *externa* & quæ magis ad *chirurgorum* forum, quam ad *pharmaciam* spectant, excitantur, nimirum ad *Vesicatoria*, quæ absolute in illum finem abeunt, quo *excretio* quædam consequatur, & quamvis *primarius* scopus, qui cum vesicatoriis intenditur, magis *diversionem motuum & humorum*, quam *imminutionem* horum concernat, tamen vesicatoriorum affectus absolutè qualemcumque *excretionem* involvit: operantur itaque *vesicatoria* remedia *caustico* quodam sale, satis potenter *stimulante & corrodente*; unde *deglutita* talia remedia vehementes cruciatus excitarunt, & tam in *ventriculum*, quam in *vias urinarias*, referente *Bartholino Cent. 3. hist. 16.* intulerunt: id vero hoc loco notandum est, quod *stimulos* tales, corporis *vivo* inductos, singulares *motus* consequantur, qui cum *effectibus* suis exacte conveniunt cum illis circumstantiis, quæ cum præsenti irritatione connexæ sunt: etenim *caustica* talia remedia non modo in *partibus vivis* dolorem excitant, sed & ipsam *materialem* constitutionem corporis afficiunt atque *arrodunt*: pro utroque *incommodo avertendo*, in relatione ad corpus *humanum*, quid aliter fieri potest, si *adversa* talis materia tam subito *excuti* & remove ri non potest, nisi ad illum locum ubi *causticum* tale remedium hæret, *ab intra* *humores* copiosius advehantur, quo partim *acre* remedium per *affusos humores* *feroso-aquofo-mucido-lymphaticos* obtundatur & temperetur, partim *partes*, tam *moleste irritatae* leniantur, *demulcentur* & relaxentur;

tur; exinde patet quod largior *affluxus humorum* talium *salutarem* præ se ferat scopum: deinde vero sciendum est, quod acria, *caustica* & irritantia talia remedia *per se* humores hosce *adducere* non possint, cum nulla *physica* ratio redi possit, quomodo *vesicatoria* remedia humores *serofolymphaticos attrahere* debeant queantque, nisi multa irrita pro tali theoria supponenda essent: neque etiam illa ratio pro demonstratione subminstranda quadraret, quasi *acria* talia subjecta partes eo usque *stimulent*, ut *constrictione* sua humorum *secessiones* & *collectiones* efficiant; quoniam *nuda* partium *constrictio* tantis humorum *collectionibus* non satisfaceret, quæ potius restrictionibus & retropressionibus humorum quadraret: quoniam vero rectius illa *consecutio motuum* & *effectuum* post vesicatoriorum usum obtingens, *rationabilem* causam involvit, hinc concludimus, quod *vesicæ* tales minimè *fortuitis stagnationibus* & *stasibus* humorum imputandæ, sed particulari *naturæ* activitati adscribendæ sint; hæc enim *propter* remedium *causticum* corpori *vivo* & *sensu* instructo oblatum & adhibitum *eo* humores tales *largius* affundit, ubi tale remedium *hæret*, quo ulterior *noxa*, ab hoc subjecto expectanda, avertatur & invertatur: inde etiam est, cur *vesicatoria* talia remedia in corpus *exanimatum* sive cadaver humanum *non amplius operentur*: & meretur hoc loco allegari judicium *Helmontii* quando *tr. de Lithiasi Cap. 9. §. 102. & 103.* dicit: *quamobrem ad investigandum agens proprium, in dolore, consideravi, quod ranunculus, apium, flammula &c. non vescent in cadavere: vescent tamen carnem vivam: censi itaque quod in ipsa anima sensitiva consistet differentia hujus actus & non primario in flammula &c. conf. Misc. A. N. C. Dec. I. A. 2. obs. 70. in Schol.* inde omnino concludimus, quod ad vesicatoriorum operationem *sensus* requiratur, qui sensus vero *non corpori*, sed *naturæ* competit: prout itaque subjecta nunc *magis*, nunc *minus* *sensibilia* sunt, ita

ves-

*vesicatoria* remedia nunc *citius & efficacius*, nunc *tardius & debilius* operantur: inde etiam ex abundantí *experientia* chirurgis innotuit, quod quædam subiecta *in cute* præ aliis longe *sensibiliora* existant: quare exempla prostant hominum, qui ex simplicissimi *emplastri* applicatio-ne *vesicas*, imo *inflammatorias* invasiones experiuntur: ubi frustra erit vel solam *impeditam* transpirationem insensibilem pro causa allegare, cum in subiectis *tenerioris & densioris* corporis, *minoris* tamen *sensibilitatis* idem effectus non obtingat: Dum vero *propter* externam applicationem *acrioris & caustici* subiecti humores *copiosius* advehuntur, tunc in *intimorum superficiem* corporis fluidiores materiæ *aquosæ*, serosæ & lymphaticæ affluunt & cuticulam à *cute* *eliquatoria* efficacia separant, quo ad minimum *cutis* ab *ulteriori acrioris* remedii stimulo arceatur: neque etiam conveniens erit *applicatio* vesicarum ex *ambustione* concitatarum, ad *vesicas* per *acria* remedia provocatas, quoniam *causæ* per quam inter se differunt: interim non negamus, quod *superficiales lymphæ & seristases* vesicas excitare valeant; an vero *accidentales* tales stases cum vesicarum genesi ex remediis *vesicatoriis* proveniente, *commiscendæ* sint, merito dubitamus: Ex eodem fundamento explicanda erit operatio, qua *rubefacientia* in corpus *vivum* efficaciam suam exserere solent: hæc enim cum non *illius potentioris* qualitatis *causticæ* sint, ac *vesicatoria*, interim tamen *superficiem corporis stimulent*, propterea non tam *intimius* in illam superficiem corporis affusio humorum penetrat, sed tantum *in cute* permanet ac subsistit, adeoque cum nulla superficiali *congestione*, cuius *consectorium rubor & ardor* est, sese prodit: interea & hæc superficialis *sanguinea congestio* ad *remotionem* applicati *adversi & molesti* objecti & remedii *directa* est; quemadmodum alias hic *naturæ mos* est, quo cum ejusmodi *motibus*

*tibus atque effectibus, sese adversis & noxiis objectis opponat.*

### §. XII.

Hoc ordine etiam mentionem facere lubet, aliarum similium excretionum *seroso-mucilinosarum*, quæ per FONTICULOS & SETACEA provocantur: in quarum excretionum schemate tam *remedia*, quam *natura* cooperantur: quod enim fonticulos attinet, tunc communiter quidem hodienum iidem cum *caustico* quodam remedio parantur, quod *structuram corporis aggreditur & corredit*, in quem locum corrosum si *solidum* quoddam corpus immittitur, tunc affectam partem *amplificat & fo-veam ulcerosam* efficit, ad quod *artificiale* ulcus, tanquam ad locum cum *irritatione* quadam *sensibili* apertum, imposterum humores *diriguntur* & ex eodem effunduntur: haud tamen adeo nude *passive* tales humores ex fonticulis *elabuntur*, quoniam aliquando *accessus* humorum ad illos adeo *præcluditur*, ut fonticuli quasi *exsiccantur*, deinde quoniam alia occasione *largior* aditus eorundem humorum *ad illos* conceditur; ut &, quia particulares *sanguineæ congestiones*, quæ cum *animi pathematis* & *periodicis Hæmorrhagiis* conspirant, ad eosdem fonticulos *diriguntur*; quo adhuc illa notatu digna circumstantia pertinet, quomodo ad *alia ulcera* plane *singulares* commotiones concurrere observentur, quæ neque *materiæ peccanti*, neque *corporis dispositioni* adscribi possunt; unde concludimus, quod excretio ex Fonticulis continuans magis *naturæ*, quam *corporeis* qualitatibus adscribenda sit, quæ natura propterea, si in hoc actu excretorio *segnior* existit, eo excitari potest, si *intra* fonticulum *stimulantia* remedia adhibentur, quem *stimulum* deinde natura *sequitur* & ad fonticulum *copiosius* humores advehit: quod vero in *fonticulum tractatione* & *directorio* *naturæ activitas* observanda sit, testatur etiam *singularis* illa *circumstantia*, quo-  
modo

modo in subjectis *plethoricis*, quæ alias *sanguinis commotionibus translatoriis & eluctatoriis* adsueta fuerunt, eædem *commotiones* ex levi causa *impulsæ* ad *fonticulum* tendant; sicut exempla constant, quomodo *fonticuli* in fæminis ex *Mensum turbis cacochymicis redditis excitati*, cum *menstruis* etiam temporibus atque *recursibus* majori *rubore, ardore & dolore* afflitti fuerint: quamvis enim *apertio cutis* in tantum ad hanc excretionem aliquid conferat, ut *evacuatio extra fonticulum eo facilius succedere possit*, tamen hæc læsio continui non *absolvit* totam *formam* hujus excretionis, quoniam nunc *evacuatio* talis *citra culpam* alicujus *materialis* respectus *augeri*, alibi vero *minui* potest & solet: inde est cur *fonticuli* ita *promiscuè consolidati* tanta *damna* causentur, cum *consuetudini* circa hanc excretionem *acquisitæ eximia alteratio & vis inferatur*: licet in *humore*, qui nunc *retinetur* vix tanta *pernicies* supponenda sit: sed cui constat quantæ alterationes ex *motuum vitiis* prodeant, ille non tam anxiæ *materiarum acciuationi* operam dabit, dum sæpe *illæsa* etiam *materia* eximi gradus & valoris *morbi* insultare & vexare queant: Et quid notius est, cum hæc veritas clarius illucescat in *Setaceorum modo operandi*: hæc enim magnum *dolorem* parti inferunt, dum huc illuc trahuntur, quæ *crassa* est & *torturæ* ac torimenti nomine digna *offensio*, quam *largus* humorum *affluxus* prosequitur, qui eum ob finem ad partem affectam *a natura* advehitur, quo eædem partes *leniantur*, relaxentur, demulceantur & *sensus doloris* hebetetur ac *temperetur*; tantum enim & non plus *ex sua efficacia* in tali afflictione *natura* operari potest, cum in i. psius *viribus* non sit, per *motus vitales* *setaceum* *removere*; id vero potest, quo ad *dolentem* partem *humores aptos* transferat & tales quidem humores, qui per *aqueosam & mucilaginosam* suam indolem, *dolentem* partem *leniunt*, elubricant, relaxant & emolliunt, cum æque facile paulo inti-

*minus sanguis* eo congeri poterit, qui vero sub *intensiori* congestione dolores magis *augebit*, quam mitigabit: quod vero in hac occasione & necessitate non *sanguis* tam *intime* congeratur & detineatur, sed *conveniens* talis humor sequestretur, non *corpori*, sed *naturae* adscribendum esse judicamus, præprimis cum per solidas & nudas rationes *physicas* deinonstrari non possit, quomodo setacea *tales* humores *allicere* & attrahere possint, ni merito *stimulus* concursans accusetur, qui tamen *alterius* fori est, neque ad *nudè physicam* contemplationem pertinet: quare facile liquere potest, quomodo in ejusmodi evacuationum speciebus *natura* occupata & *activa* existat.

### §. XIII.

Variarum hactenus Evacuationum mentio facta fuit, sed cum adhuc una alterave species excretionum in mentem incidat, illarum etiam reminisci lubet: inter has evacuationes vero occurrit VERMIUM EXPULSIO, quæ in medicina Practica satis sæpe *utilis* & *necessaria* est: evolvemus itaque illum *modum*, quo sic dicta ANTHELMINTHICA remedia operantur: pro hoc modo rite agnoscendo notare convenit, quomodo *vermes* in corpore animali *vivo* absolute *præter naturam* lateant, adeoque *adversum*, *inutile* & *molestum* objectum constituant, quibus vermis propterea *extrudendis* ipsa *natura spontanea* activitate satis sæpe operam dat; & eo collimant tot *motus colici*, tot *conatus vomibundi*, tot *dejectionum alvinarum* insultus, tot *torminosæ* & *constrictoriæ* commotiones in abdomen, tot largiores affusiones *salivæ* &c. quippe qui singuli *apparatus* ad *excretionem* aliquam contendunt: etenim cum vermes non modo in corpore *vivo* plane *inconvenientes* sint, dum *nihil* quicquam *utilitatis*, aut *necessitatis* ad vitam conferant, sed & ipsum corpus *sensibile* offendant & *morsibus suis irritent*, quid magis *ratiōni convenire* potest, quam ut ejusmodi *adversum* objētum

Etum expellatur; dum vero vermes nunc in *intestinis* hærent, tunc rationi omnino convenit, quo motus, ad *alvinam* excretionem spectantes, augeantur, ut eo efficacius vermes, qui ægrius *antiquam* sedem mutant aut deserunt, *expellantur*, hinc interdum etiam *sua sponte* vermes deiciuntur: sed cum hi *intestinorum plicis* ut plurimum firmiter *inhæreant* & morsibus suis sese ultro intra *intestina obfirmant*, ita mirum esse haud debet, cur ejusmodi insultus *torminosi* saepius *vani* sint & suo scopo destituuntur: ob id interdum *motus* *intestinorum* magis *augeri* debet, quo vermium *renis* superetur & cum *præstantiori* vi & efficacia subjugetur; interdum etiam iidem vermes antea *enecandi* aut *enervandi* sunt, quo deinde eo *citius* & faciliter *expelli* possint, ne tantis *resistendi* viribus polleant: inde etiam contingit, ut si prius vermes *interfecti* sunt, tunc vel *sua sponte natura* illorum excretionem perficiat: exinde facile colligere & intelligere licet, quomodo *acria*, *amara*, *salina*, *terrea*, *calcarea*, *sapida*, valde *acida*, vermium excretionem adjuvent, dum omnia hæc *sapida* subjecta *teneram* vermium texturam *moleste* afficiunt, vellicant, *colliquant*, eoque ipso vermes eo usque vexant & torquent, donec vel ad extremum *infirmentur*, vel plane *enecentur*: quo facto deinde *natura* vel cum *consueto motu*, *alvinam* excretionem absolvente, hos vermes *eliminat*: eo *citius* & *efficacius* vero hoc consequitur, quando vermes cum positivis *purgantibus* profligantur, quæ non modo ob principia sua *acria*, tam *salina*, quam *sulphurea* & *resinosa* vermes *interficiunt*, sed & dum excretionem *alvi* potenter excitant, eosdem vehementius *exturbant* & uno impetu exutiunt: *mercurialia* vero remedia non tam per principium *salinum* operantur in vermes, cum vel solus mercurius, cum aqua aut cerevisia secundaria decoctus, vermium excretionem promoteat; unde ille potius propter *colliquantem* suam qualitatem *anthelminticis* reme diis

accensendus est; hæc enim mercurialia remedia humores imprimis *mucilaginosos* penetrant & dissolvunt: quia vero vermium *textura* ut plurimum in *tenui mucilagine* consistit, ita hæc remedia vermes colliquant, eoque ipso illorum *excretionem* præ aliis remediis efficaciter adjuvant: inde etiam contingit, ut post *mercurialium usum* vermes *discerpti* & dissoluti evacuentur: quomodo vero *mercurius* humores *colliquet*, an per sal, an per sulphur, de eo litigant adhuc chymici; quia itaque hæc decisio admodum *controversa* & *dubia* est, propterea *ex eadem* non placuit hunc modum operandi *mercurii* in *vermes* describere, sed *ex effectu* magis *manifesto* & *demonstrativo*: conferantur quæ de efficacia mercurii ad exturbandos vermes *Joh. Bettus* in *Tract. de Natura Vermium & Lumbricorum Cap. I. Sect. 3. §. 6.* proponit, qui nobiscum in præsenti consideratione certo respectu consentit: à quibusdam remedia *ex cupro* & ferreo parata adversus *vermes* ordinantur, quæ tamen non admodum *secure* operantur, licet vermes quidem alterent; priora videlicet *salino-terreo* suo principio, quo alias valde *nauseosa* sunt, posteriora vero *acuminatis* suis moleculis in sola *limatura martis*, aut *salino-terreis* suis particulis in *croco martis* operantur & vermes perinde *vellicant* atque vexant: danture etiam *anthelmintica* remedia, quæ ab *extra* adhibita operantur, ut sunt *amarra* ex *absinthio*, *Zedoaria*, *colocynthide*, *bile*, *aloe* parata, quæ *abdomini* applicata *alvinas* dejectiones causantur: unde asserimus, quod hæc remedia *cathartico* magis effectu operantur, quam ut credere debeamus, quod particulæ *amaræ* per *cutim*, partes *musculosas* & diversas *membranaceas* demum *intra intestina* hanc suam *amaritatem* transferre & vermibus inferre debeant: cum potius ille effectus *catharticos* subsequentis posteriori *colliquationi* & *resolutioni* humorum adscribendus sit: de qua consideratione in pri-

mo hujus Thematis specimine, ubi de *catharticis actum* fuit, sermo occurrit.

#### §. XIV.

Non inutilis labor erit, si hoc ordine de *Evacuationibus EXANTHEMATUM* brevem sermonem instituimus, insuperque inquirimus, quomodo hæc excretio succedit: alias quidem notum esse debet, quod exanthematum *translatio in superficiem corporis*, non nitatur *materiæ malignæ qualitate*, aut *relatione physica* ad superficiem corporis, quoniam interdum hæc materia *plane non* pervenit in *peripheriam corporis*, aliquando etiam *subtiliori modo transpiratur*, ut in illa peripheria non *subsistat*, nonnunquam ex hac superficie iterum *ad interiora retropelli* potest, quandoque etiam *justis temporibus atque diebus* in eandem peripheriam seponitur: vicissim vero constat, quomodo hæc *materia*, quæ *exanthemata* constituit, valde *pernicioſa* sit, quæ tanto magis *nobilioribus & tenerioribus internis partibus* extremam *noxam* infert, unde & *rationale & salutare consilium* est, quo hæc *materia excernatur*, eo magis *rationale* est, quo hæc *noxia* *materia à nobilioribus in ignobiliores regiones transferatur*, sicut in comparatione ad *interna viscera superficies corporis omnino ignobiliorem regionem* constituit: hisce circumstantiis collectis & bene ponderatis, vix ullam *solidam rationem* habebit assertio, quasi hæc *materia fortuito* in peripheria corporis obhaerescat aut *captetur*, vel quasi hæc *materia* *talem convenientiam physicam cum poris cutis* habeat, ut in hosce delata, ibi obhaerescere & subsistere *debeat*, vel quæ adhuc *crassior* opinio est, quasi ex *accidenti* hoc fiat, ut, quando hæc *materia* sub *circitu sangvinis* suffcienter *agitata & attenuata* est, denique in *teneriorem cutem* transferatur & hoc ita ex aliqua *necessitate fieret*; unde etiam hanc *confusam commotionem & mere morbidam* aut *noxiam humorum agitationem salutarem* hunc effectum & eventum consequi: Deum

enim hæc ita posuisse & voluisse, quo hæc ita fiant: quis non rectius agnoscat, quod salutaris hæc exanthematum efflorescentia non tam crudis causis & fortuitis eventibus nitarur, sed quod ob *essentialiter* conjunctam *rationalitatem* & *salubritatem* hic actus non *corporeis* affectionibus, sed *rationabili principio* adscibendus sit, adeoque à *natura humana* pendeat, quæ subinde per eundem actum *medicatricem suam* functionem obtestatur: inde etiam evenit, ut *natura libere* atque promptè hanc evacuationem absolvat, modo ab *externis causis* non *impediatur*: etenim si propter tales causas (ut de internis hoc loco non diffusius differamus) peripheriam corporis *occludit*, tunc in eandem *pravam* talem materiam *seponere* haud potest: nam quando *in superficiem* corporis aliquid *transferendum* est, tunc etiam *necessæ est*, quo illa *permeabilis* atque *aperta* sit; hæc *apertura* vero eidem conciliatur per *congruam tonici motus administrationem*, qui motus si *nimum* intenditur & *in stricturam* aliquam convertitur, tunc magis peripheriam corporis *occludit* & aditum atque *ingressum humorum intercipit*: hic motus *tonicus* utpote motus *absolute vitalis*, non à *corpo*, sed à *natura* pendet; ita variis *rationibus* demonstrari potest, quod exanthematum *excretio naturæ dominio & directorio* subjecta sit: & quo hæc efflorescentia *facilius succedat* præter necessariam peripheriæ corporis *apertionem* etiam requiritur *sufficiens* materiæ peccantis *abstergio & liberatio* è reliquo *vinculo*, quod cum *sanguine* habuit, ut ita seorsim seponi possit; deinde huc spectat sufficiens *translatio* hujus materiæ *in eandem* superficiem corporis, quoniam ex *motuum* interdum vitio hæc materia *retineri* potest & solet; in quibus concurrentibus requisitis perinde *natura* illa *superior causa* est, cui *operationes tales* adscribi debent.

## §. XV.

Præmissa hac consideratione, nunc ad *specialiorem applicationem* progredimur: & quidem notandum, quod *moderatum regimen* ad exanthematum malignorum *efflorescentiam plus*, quam ullum aliud consilium & auxilium conferat, hoc modo, dum natura in suo opere non *turbatur*, adeoque *libera* & *simplici* methodo hoc officium exequitur; etenim si ab intra motus *auget*, aut si ab extra tonum *alterat*, vix facile hæc excretio *scopum suum* assequitur: multum vero ad *congruum motuum successum* hoc *regimen* contribuit: quapropter *æstuosum* & *rigorosum regimen* ad *nimiam* materiæ peccantis *dispersionem*, aut *immoderatum impulsu*m intra reliquam sanguinis massam & *mixtionem*, satisfacit; inde etiam evenit, ut exanthematica talis excretio vel *confuse* vel *impedit*e succedat: *laxius* vicissim *regimen*, quod connexas *refrigerationes* inducit, ad peripheriæ *occlusionem* causandam manifestè quadrat: deinde ad exanthematum excretionem multum quadrant *frictiones corporis*, non alio modo, nisi ut ob *sensum cum calor*is, tum modestæ *attritionis* peripheria *relaxetur*, accessus & *ingressus* humorum *invitetur*, adeoque *naturæ occasio* præbeatur, quo *hoc tempore* dum in *exanthematica* materiæ peccantis *excretione* occupata est, in *banc superficiem corporis* decumbat & in speciali humorum *directione* eo ducatur: plus itaque tales moderatæ *frictiones* convenient, quam *vesicatoriorum usus*, quæ cum non nisi in *uno particulari loco* operentur, eapropter tam *generalem excretionem* non facile allevant, aut promovent: dum vero *alexipharmacæ* & *diaphoreticæ* temperatiora remedia ad exanthematum *expulsionem* conferunt, non alio modo operantur, nisi ut *motum sanguinis a centro ad peripheriam* promovere adjuvent, *resolutionem* & *abstersionem* materiæ peccantis facilitent & *æqualem sanguinis distributionem* concilient: alia *potentiora diaphoretica*, aut plane

ne *volatilia* remedia *impellunt* quidem, uti *totam massam sanguineam*, ita etiam *materiam peccantem*, sed dum hoc modo ad *præmaturam* aut *impetuosam* excretionem natu-ram *urgent*, tantum etiam valent, quo exanthemata *expulsa* ob *irregularitatem motuum & nimiam subtilitatem & mobilitatem materiæ*, citius *retrocedant*, adeoque *fugacia evadant*: quod *acida* nonnunquam remedia aut *absorben-tia* cum *acidis* saturata exanthematum evacuationem pro-moveant, eam ob causam contingit, dum *peccans & maligna* materia cum hisce remediis in *mobilem aliquam* con-sistentiam convertitur, ne *adeo tenuis & ut ajunt volatilis existat*, neve propterea motibus *præparatoriis & evacua-toriis* *impedimenta* inferat: etenim *acidorum & terreorum* virtus *incrassans* abunde cognita est, per quam sepe in *hoc casu* efficacia præbent: de *specificis* adhuc sermo haben-dus erit, quæ videlicet ad *malignorum* exanthematum *expulsionem* commendantur: constat nimirum quomodo in *variolis & morbillis* diversæ speciei *semina* ad promotionem *principalis* excretionis laudentur, sed *primo* notandum est, quod illorum effectus *adeo certus & indubius* haud sit, de-nde non aliter ad hanc excretionem promovendam con-tribuunt, nisi per *sulphureum & mucilaginosum* suum prin-cipium, quorum *prius* ad motus progressivi *augmentum* contribuit, *posteriorius* vero ad *materiæ peccantis* præpara-tionem & *involutionem* concurrit.

### §. XVI.

Præter horum malignorum Exanthematum expul-sionem adhuc plures aliæ species *particularium* evacuatio-num in *superficiem corporis dirigendarum* accursant, quæ magis *chronicis* affectibus annumerandæ sunt, quæ certis *methodis* atque *remediis* promoveri possunt, quomodo vero hæc remedia ad horum commotionum & evacuatio-num *restitutionem* in *peripheriam corporis* concurrant, brevibus adhuc circumspiciendum erit: & ita dantur in-ter-

terdum inveterata *ulcera*, quæ incongruè *repressa* & *excisa*  
*pessimas* consecutiones inferunt, ut consultius sit, quo  
 eadem *ulcera* in *antiquum* suum locum *restituantur*: ad  
 hanc *revocationem congestionis* humorum in superficiem  
 loci *ante bac* affecti, convenit *frictio* in eodem loco præ-  
 stita, quæ partim propter *sensum* insolitum, partim pro-  
 pter connexam *relaxationem* illius partis *copiosorem afflu-*  
*xum* humorum in *illum locum* invitat, ut eo ipso *intra e-*  
*andem* partem *natura* denuo ducatur, in qua antehac *ex-*  
*traordinaria* activitate particularem excretionem diu ex-  
 ercuit; unde evenit, ut ex *nova* hac invitatione *affluxus*  
 humorum, denuo antiqua ulceratio oriatur: Familiarius  
 phænomenon est, ut *Scabiosa inquinatio* ab extra *intror-*  
*sum* pellatur, unde interdum *periculosa conseßaria* immi-  
 nent, ut propterea & *necessarium* & *salutare* consilium sit,  
 quo hoc inquinamentum iterum in peripheriam corporis  
 transvehatur: ad hanc *restitutionem* scabiei in *pristinam*  
 regionem contribuunt præcipue *alexipharmacæ* & *diapho-*  
*retica*, quæ motum sanguinis ab *internis* partibus in *su-*  
*perficiem* corporis excitant, adeoque *in genere* naturam in  
*illam regionem* ducere adjuvant, à qua antea eadem *seductæ*  
 fuit: imprimis hæc efficacia transferendi scabiem in *su-*  
*perficiem* corporis *sulphuris interno usui* adscribitur; quo-  
 modo vero sulphur id efficiat *hoc modo* intelligi potest,  
 quoniam sulphur *in massa* sanguinea motu *caloris* agitatum,  
 admodum *attenuatur* adeoque motum sanguinis *intestinum*  
 æque ac *progressivum* valde *augeat* & ita *in genere* trans-  
 tum humorum in *illam externam* regionem invitat, a qua  
 antehac *natura* *repressa* & *retropulsa* fuit; unde evenit, ut  
 modo in *pristina* loca promota *natura*, materiam *peccan-*  
*tem*, quæ *internis* visceribus longe magis *nociva* est, nunc  
*in illa* denuo *deponat* & secundum *pristinum morem* ex iis-  
 dem eliminet: ubi iterum ab illa *craffa* opinione desisti-  
 mus, quasi *in poris* cutis materia peccans *fortuito* incar-

ceretur; cum tam facilis *retroressio ad interiora hanc fortuitam incarcerationem* facile etiam revellat, & cuin reliquæ considerationes, quibus *rationalis translatio pernicioſarum talium materiarum ab internis & nobilioribus in externas & ignobiles partes*, *simpli demonstratione inculcatur*, *veritatem sententia nostræ approbent*, quod vide licet hic actus *transpositionis impuritatum in superficiem corporis potiori jure & respectu naturæ competit*, licet remedia talia ad hunc actum aliquid cooperentur, attamen actualem *restitutionem retroressarum impuritatum intra peripheriam corporis non formaliter efficiant aut absolvant*: eodem modo operatur etiam in similibus casibus; *fumaria, succinum &c.* interim ille adhuc *effectus* talium remediorum annotandus est, quod in hoc casu medicamenta *boc modo ad hanc repositionem impuritatum intra cutem corporis contribuant*, dum *intrinsecus sub circuitu sanguinis aucto in massa humorum abstersionem & resolutionem talium inquinamentorum adjuvant*, ut hæc tanto facilius iterum *excretorio actui & effectui obtemperent*: Quid porro damni inferant retropulsiones *particularium sudorum*, manuum aut pedum, docet attenta experientia: invitatur vero iterum hi sudores *in antiqua sua loca*, quando per *universalia alexipharmacæ* remedia non modo in genere *distributio sanguinis in peripheriam corporis inducitur & promovetur*, sed & insimul *generalis diaphoresis* invitatur, ut eò facilius *natura cum particulari tali sudore in antiqua sua loca decumbat*; quo multum contribuit, si per *manuluvia* aut *pediluvia*, vel fomenta manibus aut pedibus adhibita *copiosior accessus humorum in has partes invitatur*; quo æquali modo *frictiones* harum partium contribuunt, aut si per adhibita *Camphorata* in hisce partibus *pori antehac constricti referantur* & ita in hisce locis *transpiratio confusa revocatur*: Quid *Inflammationes retrupulse efficiant*, abunde experientia medica testatur; & cum

cum eadem quoad principalem & formalem suam rationem in certa *motus ionici* directione consistant, ita ad *e- vocandas* has commotiones inflammatorias, non alia conferunt, quam quæ in *motum tonicum* operantur: quoniam vero *sensatio* cum hoc motu arctè *conjuncta* est, ita facile liquet ratio, cur *frictiones*, *cucurbitularum cæcarum applicationes*, *rubesactiones*, aut interne adhibita *diaphoretica* ad harum inflammationum revocationem in *superficie* corporis conferant: idem sentiendum est de *spasmodorum retro- pressorum* revocatione, in quibus *motus* magis in illis locis excitandi sunt, è quibus spasmi illi retropulsi sunt, quod eodem modo contingit, uti *haec* tenus dictum fuit: & cum spasmi frequenter humorum *abundantiae* opponantur, ita etiam evenit, ut si in eundem locum per *balnea* apta humorum copiosior *accessus* invitetur, eo ipso etiam pristinus spasmodorum *reditus* provocetur & adjuvetur.

## §. XVII.

Progredimur ad FLATUUM *retentorum & occluso- rum* evacuationem & quomodo diversa adminicula hanc excretionem promoveant: antea vero significandum erit, quomodo flatus *retineantur*, ut deinde eo magis luculenta sit demonstratio modi, quo remedia flatus profligantia operantur: efficacissime ad *flatuum occlusionem* conferunt *spasticæ intestinorum stricturæ*, tanto magis si *exitus ani* obrigescit, nec non si *intestina exsiccantur*, aut si *fæces alvinæ sicciores & duriores* in *intestinis* hærent, ut & si *peri- flaticus motus irregularis* est, dum in *uno* *intestinorum tractu tonus laxior & remissior*, in *altero* vero *rigidior & rigorosior* est, ut propterea flatus in aliquo *intestinorum tractu occlusi* deprehendantur: ob id non semper veritati respondet, si in *Theoria flatulentiae* nuda & *absoluta* *tonus accusatur*, quoniam sæpius *irregularis toni* *administra- tio* in culpa est, ubi *tonus* quidem *non penitus* deficit, sed tantum *inordinatè* applicatur: hisce circumstantiis adhuc

illa annumeranda est, quod in cura flatulentiae etiam eo advertendum sit, per quæ *subjecta* nimirum fatus copiosius *generari* queant, ut deinde artifex per *remotionem* talium subjectorum flatulentiae *futuræ & imminentis* molestiam præoccupare possit: ast cum hoc loco sermo nobis sit de *flatuum evacuatione*, non acquiescemos in ultima hac circumstantia: quod vero omnium optimè *clysteres lenientes* fatus educant, variis modis contingit: dum partim *alvum aperiunt*, intestina *leniunt*, scybala *emolliunt*, partim *spasticam* stricturam intestinorum *mitigant* & sub aperitione alvi *inversam* peristalsin iterum in ordinem justum ducunt: proinde recte *Wedelius in Amœnitatibus Materiæ Medicæ* Nitrum *carminativis* remediis annumerat, quod non tam *laxando & evacuando* alvum, quam *irregularres* motus *temperando* ad flatum emissionem & evacuationem contribuat; quando enim *irregularres* commotiones *mitigantur*, tunc evenit, ut reliquæ functiones in *justum ordinem* redeant, adeoque *molesti fatus deorsum* promoveantur: quod *positiva carminativa* remedia attinet, tunc illorum virtus in eo consistit, quo *tonum* in intestinis adjuvent & sublevent, & dum *flatulenta* ex *irregulari* toni administratione oritur, ita tantum contribuunt *carmenativa* remedia, quo tonus ille denuo æqualiter distribuatur, ne in *una* regione intestinorum *fortior* in *altera* *debilior* sit: & cur talia *carminativa* medicamenta *primis regionibus* conveniant, non æque *simplices & perspicuae* rationes *physicæ* subministrari possunt; nisi iterum hic *sensui* aliquid adsignandum sit, qui per *diversas* corporis partes *discrepat*: & cum *carminativa* remedia communiter humores *resolvant* & attenuent, ita ad *primarum regionum* repurgationem eo magis contribuunt, ut tanto minus *impeditæ* hæ viæ, eo *facilius* atque lubentius *justo* motuum gradu à *natura* instruantur; inde etiam evenit, ut ob motus *peristaltici congruam directionem* fatus contenti per *ordinariam* viam *deorsum*

*orsum transferantur & educantur, vel iterum in serosam colluviem recipiantur & sub ordinaria alvi depositione nunc inconsistentia humida excernantur, cum subjectum humidum in vaporem & ex vapore denuo in humidam consistentiam converti queat; secundum declarationem modi, quo flatus profligantia remedia operantur, dijudicare etiam licet, in quonam casu talia remedia per discrepantem suum modum operandi convenient; ita facile liquebit, quod in illo casu, ubi flatulentia arget & simul commotiones sanguinis translatoriae & eluctatoriae concursant, acriora carminativa minime quadrent, quae hosce immoderatos sanguinis motus eo magis augebunt & exacerbabunt: quam iniquus vero sit modus in flatus operandi purgantium & narcoticorum, facile liquet, dum illa nimis immoderatè præsentem irregularē peristalsin aggrediuntur, hæc vero eandem magis confundunt, dum sensum molestiæ quidem obtundunt, sed motum peristalticum minime in ordinem justum convertunt, & licet hæc posteriora remedia aliquid ad flatulentiæ sublevationem conferre videantur, tamen illorum modus operandi in hac afflictione non est ingenuus & securus, quia furoris gravioribus damnis ansam præbet: ex hac nostra declaratione facile liquet, quod nulla dentur remedia, quæ directe in flatus operantur, nimirum quæ immediatè vel flatus præcipitant, vel discutiunt, vel plane excutiunt; sed quod alia methodus huc requiratur, quæ superiori naturæ directioni subjacet; ut ita hæc species evacuationis, quia & necessaria & utilis existit, omnino naturæ œconomiæ adscribi mereatur, neque à nudis causis physicis pendeat.*

### §. XVIII.

Non oblivioni tradere lubet hanc considerationem, quo videlicet modo VIRULENTA & sic dicta VENENOSA subjecta ingesta, cooperentur, ad sui expeditam excretionem: de ejusmodi materiis itaque notandum

dum est, quod ut plurimum vehementi corrosivo effectu  
in *texturam* partium, quas attingunt, operentur; id quod  
latius demonstravit Wepferus de *Cicuta aquatica*: quo lo-  
co illa repeti possunt, quæ in *Specimine Primo de vomito-*  
*riis & Purgantibus dicta sunt: consequuntur talium vene-*  
*nosorum usum, extremæ angustiæ cardialgicæ, nausea, in-*  
*ternus ardor, tormenta horrenda, suffocativi conatus vo-*  
*mendi, actualis denique vomitus extremè impetuosus,*  
*aut horrenda colica pathemata & vehementes dejectiones;*  
*missis pluribus talibus phænomenis, de quibus in uni-*  
*versum agere non lubet, quia tantum relationem ejusmo-*  
*di veneni ad effectum subsequentis excretionis intuebimur:*  
jam notandum est, quod venenorum effectus sit summe per-  
nicious & quod propterea illa à corpore sano longe abes-  
se debeant, aut si ad partes vivas & integras translata sunt,  
vix rationabilius aut præstantius consilium suppeditari po-  
test, quam ut sine ulla mora & cum maxima efficacia il-  
lud ingestum venenum rejiciatur; quo oblato, reliqua  
jam inducta noxa paulo facilius emendari potest; conse-  
quuntur itaque venenorum ingestiones ejusmodi evacu-  
ationes, quæ è rationali plane inventione & consilio fluunt;  
unde si legitimè succedunt, exoptatam salubritatem &  
mortis evitatem post se trahunt: quoniam itaque hæc  
excretio tam salutarem scopum prosequitur, quis ita ali-  
enus erit & virulento subjecto imputabit, quod vomitum  
aut alvi fluxum efficiat: etenim venena lœdunt, hæ excreti-  
ones vero resistunt lœsioni, quare hæ ab illis dependere ne-  
que possunt neque debent: venena enim nihil aliud ope-  
rantur, nisi ventriculum & intestina acerrimè arrodant.  
hanc noxam natura sentiens, ipsa spasticis & ad evacuatio-  
nem subsequentem collimantibus commotionibus huic dam-  
no resistit & mortis periculum evitare contendit; quare il-  
læ excretiones ex prima sua destinatione non ad interitum  
hominis, sed ad illius salvationem & liberationem sunt  
sus-

susceptæ; ubi irritum erit ex *frustraneo* effectu atque even-  
tum *totum* reliquum actum condemnare velle; siquidem  
*parallelum* specimen *indies* in *moralibus* negotiis occurrit,  
ubi certæ operationes ad *salutarem* scopum *prævisæ* qui-  
dem suscipiuntur, quæ tamen *non semper* ad eundem fi-  
ne*m per tingunt*: reliqui *concurantes* motus *spastici*, qui  
has evacuationes nunc præcedunt, nunc comitantur, pér-  
inde vix ita *turbulenti* & omnis *rationalis* scopi expertes  
sunt, ni æque ad tempestivam veneni extremè *ad-  
versi* atque *noxii* strenuam *exterminationem* properent  
& collineent; quemadmodum aliàs in *genere* spas-  
modicæ commotiones ad *adversorum*, *molestorum* & *noxio-  
rum* subjectorum remotionem & *expugnationum* tendunt:  
quare etiam in *venenorum* cura administranda optima illa  
est methodus, quæ *ingestorum* illorum virulentorum sub-  
jectorum *tempestivam*, efficacem & modestam *evacua-  
tionem* promovent aut facilitant: hoc enim est optimum &  
certissimum *antidotale* consilium & auxilium, quod sicut  
ipsum *non per se* operatur, sed per principalem *naturæ* con-  
cursum, ita tamen vel *venenum* ingestum sufficienter, *di-  
luit*, involvit, emollit & quantisper in nimio suo *corrosi-  
vo* effectu temperat, quo postea eo *promptius* & facilius à  
*natura exturbari* possit: imo quando contingit, ut *vene-  
norum* ingestionem *convulsivi* motus consequantur, tunc  
neque *bi adeo vani*, steriles & *confusi* sunt, sed æque *ex-  
tremum* & universale quoddam *conamen naturæ* constitu-  
unt, quo summe perniciosi veneni *excussionem* urgent: &  
licet hoc auxilium non satis *accuratè* respondeat effectui  
& eventui impetrando, tamen quem vel leviter in co-  
gnitione *morum* humanorum versatum latere potest, qua-  
lia *inconvenientia* consilia & auxilia capessat anima, si in  
*extrema afflictione*, *periculo* & *damno* versatur; quibus  
tentaminibus vero in hac desperatione & *extremitate* ali-  
quale *emolumentum* prosequitur: & ita per tot *demonstra-  
tiones*

*tiones & operationes parallelas* animæ humanæ usitatas, afferimus & defendimus, quod harum *excretionum*, *venena* ingesta consequentium causa primaria efficiens sit ea-  
dem *natura*.

### §. XIX.

Inter alios humores qui propter certos usus excre-  
toriis etiam functionibus tractari solent, adhuc occurunt  
**LAC & SPERMA**: pro utriusque *augmentatione* & *eva-  
cuatione* vulgo in Therapia & Materia medica certa re-  
media commendantur, quorum modus operandi, hoc  
ordine, ubi hactenus de *Evacuationibus* sermonem habui-  
mus, inquirendus & explicandus erit: quando vero hi  
humores non deficiunt, sed *abundant*, tunc experientia te-  
ste illorum *excretio* eo facilius succedit, haud tamen pro-  
pterea *sponte elabuntur*, aut ob *quantitatem* suam, tantum *e-  
nituntur*, sed quia *abundant* eo facilius sine aliquo impe-  
dimento & damno evacuari possunt: ita enim de *La-  
cte* v. g. constat, quod in fæminis *ablactantibus* eo usque  
*coacervari* queat, ut mammæ *intumescant*, ast *citra passivam*  
*eruptionem*; hinc lac, in mammis *secretum*, denuo *re-  
forberi* & in reliquam *massam sanguinis* recipi debet; vi-  
cissim constat, quomodo interdum *sponte* lac exprima-  
tum subtili & *titillatoria* mammarum intimiori *constric-  
tione*: unde cum hoc *motu tonico*, qui *naturæ* & *non cor-  
poris* potestati & directorio subjacet, lactis excretio ab-  
solvitur & cohibetur: interim quantitas *sufficiens* singu-  
lorum humorum & *secretorium* & *depuratorium* & *excreto-  
rium* actum invitat: deinde *congrua* partium *apertura* per-  
inde ad iniculum est, quo *intra illas* tales humores se-  
& excernendi sufficienter transferri queant: denique ha-  
rum partium *stimulatio* specialior, eundem *motum excre-  
torium* eo facilius provocat; *Lactis* itaque *excretionem* pro-  
movent *alimentosa* subjecta, quæ chylum augent; hinc  
propter copiam hujus humoris tanto magis proclivis &  
facilis

facilis est natura ad ejusdem humoris *sufficientem sequestrationem & evacuationem*: ita enim *nuda abundantia chyli* non *absolvit* negotium in hoc actu; dantur enim *fæminæ in lauta & plena diæta viventes*, neque *vitio quodam mammarum afflictæ*, in quibus tamen *se- & excretio lactis* non succedit, ut propterea omnino *rationem inventiamus*, quo in hac functione *etiam naturæ principalem concursum & activitatem* accusemus: porro promovet *Lactis excretionem fomentatio & frictio* mammarum partim *titillatorio effectu & modo*, quo *motus tonicus* in *mammis & affluxus copiosior humorum intra illas invitetur*, partim *relaxatorio modo*, quo ob majorem *amplificationem* porosæ texturæ mammarum ingressus humorum *copiosior* provocetur, adeoque *se- & excretioni lactis promptiori & majori occasio præbeat*: de reliquo varia passim in materia medici remedia allegantur, quibus virtus *lac generans & augens* adscribitur, quæ tamen *plus in titulo*, quam *in effectu* gerunt: dantur tamen medicamenta, quæ *lactis copiam & consequentem promptiorem se & excretionem* adjuvant, qualia videlicet *concoctionem* adjuvant & ad *largiorem chyli* sequestrationem & præparationem contribuant, ut sunt *aromata, anisum, fæniculum, petroselinum, carminativa* varia: Idem ferme sentiendum est, de remediis *spermatis excretionem* adjuvantibus: ut sunt talia, quæ humores *lymphaticos & salivales augent*, ex quibus sperma vulgo constat: unde *gelatinosa, lacticinia, pinguia, mucilaginosa* spermatis copiam & evacuationem augent: huc porro contribuunt talia remedia, quæ *vias urinarias stimulant & excretionem urinæ augent*; cum vero viæ *urinariæ & spermaticæ*, ut & *urinæ atque spermatis* evacuatio exquisitam *harmoniam* habeant, propterea *diuretica* remedia *spermatis excretionem* augent & incitant: & sicut talia remedia *intrinsecus* has vias stimulant & afficiunt, ita

alia dantur remedia, quæ *ab extra* loca genitalia irritant, & eo ipso ad spermatis evacuationem disponunt, quoniam alias *genitalium* locorum *irritamentum* hanc speciem excretionis facilitat.

### §. XX.

Posteaquam hactenus abundè de *Evacuantium* remediorum modo operandi actum fuit, ita placet pro Colophone præsentis tractationis, brevibus adhuc annotare *Errores Naturæ* circa talem remediorum operationem occurrentes: huc usque enim sufficienter & perspicuè demonstravimus, quomodo *principalis* effectus medicamentosus, non *a remediis* evacuantibus sed à *natura humana* pendeat; quemadmodum vero in *moralibus* anima necessariis *adminiculis* non semper rite utitur, sed potius iisdem plane abutitur; ita similes *aberrationes* in *vitalibus* negotiis eadem committere solet: non quidem sermo est, quomodo *superfluus* remediorum talium usus ad *excessivas* commotiones naturam seducat, sed quomodo è *proprio* naturæ *directorio* medicamenta interdum *inverse* & *perverse* applicentur: etenim interdum evenit, ut ob *nimirum* naturæ *sensibilitatem* & *activitatem* *mitior* remediorum effectus *physicus*, *tantas* commotiones post se trahat, ut eventus admiratione dignus esse videatur: hinc in infelici tali effectu & eventu communis est provocatio ad usu receptam *formulam*, aut *dosin* remedii, ex quo medici a se culpam omni modo declinare contendunt; neque etiam *remedio* imputare volunt; unde nescias cui intervenienti accidenti attribuunt: in quo casu *judicio* medico opus erit, ut antea subjecti *personales* conditiones recte perquirantur, quas in simplici commendatione dosum ictipitor quidam adeo specialissime annotare non potuit: sed quis ea propter adeo nude & temere *naturam* accusabit, quasi *ipsius* *vitio* hoc contingat! neque quidem nega-

negamus, quod *primario* natura *proxima* hujus *infelicitatis* effectus causa sit, quæ nimis eundem exequitur; nisi vero *causa* fuisset, quæ eandem eo *seduxisset*, vix illa sola tam facile hunc *incongruum* effectum produxisset; quare omnino *remedium* & *imperitus* aut minus providus hujus *administrator* accusari debent: aliquando evenit, ut certa remedia non nimii, sed *plane alii* effectus consequantur, quando v.g. *vomitorii* usum, *alvi fluxus* consequitur, quale exemplum inter alios *Bartholinus Act. Haffn. Vol. II. obs. 27.* recenset, ut aliorum suffragiorum non reminiscamur: ita non raro contingit, ut *purgans* remedium oblatum, *vomitum* rejiciatur: qualis *conversio* evacuationum omnino *irregulari* interdum naturæ *directioni* adscribenda est, licet aliquando *ex accidenti* salutaris effectus & eventus illam consequatur: quidni etiam *erronea* remediorum applicatio fuerit, quando ob oblatum *vomitorium* aut *purgans* remedium natura alvum *rigide occludit*, ubi ob angustiam loci & temporis non lubet speciales casus ex autho-ribus conquirere, quod suffragium, ubi ex experientia medica fluit, ita ex observatoribus proprio studio suppleri & colligi poterit: aliquando etiam obtingit, ut natura *citra errorem*, sed *salutari* omnino scopo *remedii* cuiusdam effectum *coerceat* & ad *aliam* evacuationis speciem procedat, qualis affectus deinde *robori* naturæ *vulgo* adscribi solet; tale quid aliquando obtingit, quando *inopportune* evacuans quoddam remedium offertur, quo tempore natura jam *in magis congruam* excretionem propendet, quale exemplum vero, uti *specialissimum* est, ita minime *ultra* suos *limites* extendi debet: proinde etiam *evagatur* omnino natura, quando ex oblatione remedii, ad *unicam* evacuationis speciem directi, *præter necessitatem* & *utilitatem plures* excretiones exequitur, testimonio *complicacionis emeseos* & *catbarseos*, aut variarum specierum *Hæmorrhagias*

*rhagiarum &c.* ita etiam error est, si natura ad evacuatio-  
nem quandam *modestius* invitatur & ipsa tunc ad illam cum  
*immoderata* congestionē ruit, nec non loco debitæ *exone-  
rationis*, incongruos *infarctus* & *præteritarum* excretio-  
num *tenaciores oppressiones* committit: error etiam est, si  
ipsa post *administrationem* alicujus evacuationis, ad quam  
*per remedium oblatum* inducta fuit, *prægressam* unam vel  
alteram *ordinariam* excretionem *præter ordinem*, necessita-  
tem & utilitatem *retinet*; velut si post *prægressam emesin aut  
catharsin* alvi *obstructio* aut *urinæ suppressio* sequitur: qua-  
les plures errores naturæ notandos & corrigendos com-  
mendamus: Suffecerit hæc, hoc etiam loco & quidem  
*Secundo Specimine de Medicamentorum modo operandi in cor-  
pore vivo*, pertractasse: qua occasione etiam doctrinam  
*de Evacuantibus*, quam hactenus perlustravimus, obsigna-  
mus: Deo benignissimo etiam hunc laborem humillime  
consecramus, insuperque rogamus, quo eundem adeo  
promoveat, ut Medicinam tam Theoreticam, quam Pra-  
cticam in sui gloriam, proximi commodum & artis  
emolumentum adjuvet & confir-  
met.

